EXCERPTA BREVIA

W. H. S. JONES
AND
H. PARKER SMITH

WITH VOCABULARY 1/6

Geoff Johnstone

Dec. 1913

EXCERPTA BREVIA

EXCERPTA BREVIA

BY

W. H. S. JONES, M.A.

AND

R. PARKER SMITH, M.A.

ASSISTANT MASTERS AT THE PERSE SCHOOL, CAMBRIDGE

BLACKIE AND SON LIMITED
50 OLD BAILEY LONDON
GLASGOW AND BOMBAY

PREFACE

This compilation is published at the request of many readers of my little book, *The Teaching of Latin.* The selections which I had already printed for my own use, as described in the third chapter of that book, were too few to offer to the general public, and the task of finding a considerable number of new extracts has proved far more laborious than I expected. I have been fortunate enough to secure the help of my colleague, Mr. R. Parker Smith, who has chosen most of the historical passages, besides giving other valuable help. I alone, however, am responsible for any errors in the marking of quantities. Only those who have done such work know how hard it is for one pair of eyes to avoid errors and omissions, and I need not add that any corrections will be gladly received.

Part I consists of short passages suitable for learners on their first introduction to a Latin text after a year's course, such as that given in Scott and Jones's *First Latin Course*, on the simple sentence. The blank page is for the teacher's notes, given either before or after the preparation at home; references to the Latin grammar in use should be added in the margin of the text. Other suggestions will be found in the chapter of *The Teaching of Latin* to which I refer above.

Part II contains passages which throw light upon Roman history, arranged in a rough chronological order. Although extracts, they will be found to be in many cases artistic unities. That splendid prose epic in brief, the attack upon Cicero's camp, is certainly more of a unity than, say, a "book" of the odes of Horace. The compilers have desired to find selections which show why the Romans were a great people.

All vowels long by nature have been marked, so that the short mark is discarded as superfluous. Nothing but good can come from the distinction, thus unconsciously impressed upon the learner, between long vowels and long syllables. In the very difficult matter of hidden quantity, Gildersleeve and Lodge's *Latin Grammar* has, in general, been closely followed.

I may add in conclusion that most of this book has been tested by myself in class, and I believe that it will be found suitable in point of difficulty for learners in their second and third years, for whom it is primarily intended. I have made no attempt to arrange the selections in order of difficulty, in my opinion a useless task. Part I, however, is much simpler than Part II, and in the former I have not hesitated to alter the Latin of passages where it appeared too difficult. In Part II such alterations are very rare.

W. H. S. Jones.

Perse School,
Cambridge.

REFERENCES TO AUTHORS

PART I

1. Catullus, 5.
2. ,, ~~19.~~ 49
3. Martial, iii. 44.
4. ,, i. 109.
5. ,, iv. 30.
6. Catullus, 50.
7. ,, 3.
8. Martial, iv. 86.
9. ,, v. 20.
10. ,, v. 80.
11. ,, vii. 3.
12. ,, vii. 89.
13. ,, x. 47.
14. ,, iv. 21.
15. ,, iii. 2.
16. ,, iv. 64.
17. Ovid, *Fasti*, iii. 215.
18. ,, ,, iii. 523.
19. Vergil, *Georgics*, iv. 485.
20. ,, *Aeneid*, ix. 420.
21. Cicero, *ad Fam.* xiv. 8.
22. ,, ,, xiv. 12.
23. ,, ,, xiv. 19.
24. Livy, ii. 10.
25. ,, i. 53.
26. ,, ii. 12.
27. Nepos, xv. 9.
28. Caesar, *de bello Gallico*, iv. 24.
29. Pliny, *Ep.* v. 18.
30. ,, ,, ix. 21.

PART II

31. Florus, *Epitome*, i. 8.
32. ,, ,, i. 10.
33. Ennius, *ap.* Cic. *de Div.* i. 20, 40.
34. Ovid, *Fasti*, i. 193.
35. A. Gellius, *N.A.* i. 19.
36. Ovid, *Fasti*, ii. 685.
37. Livy, ii. 23, 32, 33.
38. ,, ii. 48–50.
39. Ovid, *Fasti*, ii. 195.
40. Livy, iii. 26–28.
41. ,, iii. 52–55.
42. A. Gellius, *N.A.* ix. 13.
43. Florus, i. 17.
44. ,, i. 18.
45. A. Gellius, iii. 7.
46. Horace, *Odes*, iii. 5.
47. Eutropius, ii. 24, 25.
48. Nepos, xxiii. 2.
49. Livy, xxviii. 11.

EXCERPTA BREVIA

Part I

1

Vīvāmus, mea Lesbia, atque amēmus,
rūmōrēsque senum sevēriōrum
omnēs ūnius aestimēmus assis.
sōlēs occidere et redīre possunt:
nōbīs cum semel occidit brevis lūx,
nox est perpetua ūna dormienda.

2

Disertissime Rōmulī nepōtum,
quot sunt, quotque fuēre, Mārce Tullī,
quotque post aliīs erunt in annīs,
grātiās tibi māximās Catullus
agit pessimus omnium poēta
tantō pessimus omnium poēta
quantō tū optimus omnium patrōnus.

3

Occurrit tibi nēmo quod libenter,
quod, quācumque venīs, fuga est et ingēns
circā tē, Ligurīne, sōlitūdō,
quid sit, scīre cupis? nimis poēta es.

et stantī legis et legis sedentī.
in thermās fugiō; sonās ad aurem.
piscīnam peto: nōn licet natāre.
ad cēnam properō: tenēs euntem.
ad cēnam veniō: fugās sedentem.
lassus dormio: suscitās iacentem.
vīs, quantum faciās malī, vidēre?
vir iūstus, probus, innocēns timēris.

4

Issa est passere nēquior Catullī,
Issa est pūrior ōsculō columbae,
Issa est blandior omnibus puellīs,
Issa est cārior Indicīs lapillīs.
Issa est dēliciae catella Pūblī.
hanc tū, sī queritur, loquī putābis;
sentit trīstitiamque gaudiumque.
collō nīxa cubat capitque somnōs,
ut sūspīria nūlla sentiantur.
hanc nē lūx rapiat suprēma tōtam,
pictā Pūblius exprimit tabellā,
in quā tam similem vidēbis Issam,
ut sit tam similis sibī nec ipsa.
Issam dēnique pōne cum tabellā:
aut utramque putābis esse vēram,
aut utramque putābis esse pictam.

5

Bāiānō procul ā lacū monēmus,
piscātor fuge nē nocēns recēdās.
sacrīs piscibus hae natantur undae,
quī nōrunt dominum manumque lambunt
illam, quā nihil est in orbe māius.
quid quod nōmen habent et ad magistrī

vōcem quisque suī venit citātus?
hōc quondam Libys impius profundō,
dum praedam calamō tremente dūcit,
raptīs lūminibus repente caecus
captum nōn potuit vidēre piscem,
et nunc sacrilegōs perōsus hāmōs
Bāiānōs sedet ad lacūs rogātor.
at tū, dum potes, innocēns recēde
iactīs simplicibus cibīs in undās,
et piscēs venerāre dēlicātōs.

6

Hesternō, Licinī, diē ōtiōsī
multum lūsimus in meīs tabellīs,
ut convēnerat esse dēlicātōs.
scrībēns versiculōs uterque nostrum
lūdēbat numerō modo hōc modo illō,
reddēns mūtua per iocum atque vīnum.
atque illinc abiī tuō lepōre
incēnsus, Licinī, facētiīsque,
ut nec mē miserum cibus iuvāret,
nec somnus tegeret quiēte ocellōs,
sed tōtō indomitus furōre lectō
versārer cupiēns vidēre lūcem,
ut tēcum loquerer, simulque ut essem.
at dēfessa labōre membra postquam
sēmimortua lectulō iacēbant,
hōc, iūcunde, tibī poēma fēcī,
ex quō perspicerēs meum dolōrem.
nunc audāx cave sīs, precēsque nostrās,
ōrāmus, cave dēspuās, ocelle,
nē poenās Nemesis repōscat ā tē.
est vēmēns dea: laedere hanc cavētō.

7

Lūgēte, ō Venerēs cupīdinēsque.
passer mortuus est meae puellae,
passer dēliciae meae puellae,
quem plūs illa oculīs suīs amābat:
nam mellītus erat suamque nōrat
ipsa tam bene quam puella mātrem.
nec sēsē ā gremiō illius movēbat,
sed circumsiliēns modo hūc modo illūc
ad sōlam dominam ūsque pīpilābat.
quī nunc it per iter tenebricōsum
illūc, unde negant redīre quemquam.
at vōbīs male sit, malae tenebrae
Orcī, quae omnia bella dēvorātis:
tam bellum mihi passerem abstulistis.
ō factum male! iō miselle passer!
tuā nunc operā meae puellae
flendō turgidulī rubent ocellī.

8

Sī vīs auribus Atticīs probārī,
exhortor moneōque tē, libelle,
ut doctō placeās Apollinārī.
nīl exāctius ērudītiusque est,
sed nec candidius benīgniusque:
sī tē pectore, sī tenēbit ōre,
nec rhoncōs metuēs malīgniōrum,
nec scombrīs tunicās dabis molestās.
sī damnāverit, ad salāriōrum
currās scrīnia prōtinus licēbit,
inversā puerīs arande chartā.

9

Sī tēcum mihi, cāre Mārtiālis,
sēcūrīs liceat fruī diēbus,
sī dispōnere tempus ōtiōsum
et vērae pariter vacāre vītae:
nec nōs ātria nec domōs potentum
nec lītēs tetricās forumque trīste
nōssēmus nec imāginēs superbās;
sed gestātio, fābulae, libellī,
campus, porticus, umbra, Virgo, thermae,
haec essent loca semper, hī labōrēs.
nunc vīvit necuter sibī, bonōsque
sōlēs effugere atque abīre sentit,
quī nōbīs pereunt et imputantur.
quisquam vīvere cum sciat, morātur?

10

Nōn tōtam mihi, sī vacābis, hōram
dōnēs et licet imputēs, Sevēre,
dum nostrās legis exigisque nūgās.
'Dūrum est perdere fēriās': rogāmus
iactūram patiāris hanc ferāsque.
quod sī lēgeris ista cum disertō
—sed numquid sumus improbī?—Secundō,
plūs multō tibi dēbitūrus hīc est
quam dēbet dominō suō libellus.
nam sēcūrus erit, nec inquiēta
lassī marmora Sīsyphī vidēbit,
quem cēnsōria cum meō Sevērō
doctī līma momorderit Secundī.

11

Cūr nōn mītto meōs tibi, Pontiliāne, libellōs?
  nē mihi tū mīttās, Pontiliāne, tuōs.

12

Ī, fēlīx rosa, mollibusque sertīs
nostrī cinge comās Apollināris.
quās tū nectere candidās, sed ōlim,
sīc tē semper amet Venus, mementō.

13

Vītam quae faciant beātiōrem,
iūcundissime Mārtiālis, haec sunt:
rēs nōn parta labōre sed relicta;
nōn ingrātus ager, focus perennis;
līs nunquam, toga rāra, mēns quiēta;
vīrēs ingenuae, salubre corpus;
prūdēns simplicitās, parēs amīcī;
convictus facilis, sine arte mēnsa;
nox nōn ebria sed solūta cūrīs;
somnus quī faciat brevēs tenebrās:
quod sīs esse velīs nihilque mālīs;
summum nec metuās diem nec optēs.

14

Nūllōs esse deōs, ināne caelum
adfīrmat Segius: probatque, quod sē
factum, dum negat haec, videt beātum.

15

Cūius vīs fierī, libelle, mūnus?
fēstīnā tibi vindicem parāre,
nē nigram cito raptus in culīnam
cordȳlās madidā tegās papȳrō
vel tūris piperisve sīs cucullus.
Faustīnī fugis in sinum? sapīstī.

cedrō nunc licet ambulēs perūnctus
et frontis geminō decēns honōre
pictīs luxuriēris umbilīcīs,
et tē purpura dēlicāta vēlet,
et coccō rubeat superbus index.
illō vindice nec Probum timētō.

16

Iūlī iūgera pauca Mārtiālis
hortīs Hesperidum beātiōra
longō Iāniculī iugō recumbunt:
lātī collibus ēminent recēssūs
et plānus modicō tumōre vertex
caelō perfruitur serēniōre
et curvās nebulā tegente vallēs
sōlus lūce nitet pecūliārī:
pūrīs lēniter admoventur astrīs
celsae culmina dēlicāta vīllae.
hinc septem dominōs vidēre montēs
et totam licet aestimāre Rōmam.
hōc rūs, seu potius domus vocanda est,
commendat dominus: tuam putābis,
tam nōn invida tamque līberālis,
tam cōmī patet hospitālitāte.

17

Iam steterant aciēs ferrō mortīque parātae,
  iam lituus pūgnae sīgna datūrus erat:
cum raptae veniunt inter patrēsque virōsque,
  inque sinū nātōs, pīgnora cāra, tenent.
ut medium campī scissīs tetigēre capillīs,
  in terram positō prōcubuēre genū:
et quasi sentīrent, blandō clāmōre nepōtēs
  tendēbant ad avōs bracchia parva suōs.

quī poterat clāmābat avum tum dēnique vīsum,
et quī vix poterat, posse coāctus erat.
tēla virīs animīque cadunt, gladiīsque remōtīs
dant socerī generīs accipiuntque manūs,
laudātāsque tenent nātās, scūtōque nepōtem
fert avus. hīc scūtī dulcior ūsus erat.

18

Īdibus est Annae fēstum geniāle Perennae
haud procul ā rīpīs, advena Thybri, tuīs;
plēbs venit ac viridēs passim disiecta per herbās
pōtat, et accumbit cum pare quisque suā.
sub Iove pars dūrat, paucī tentōria pōnunt,
sunt quibus ē rāmīs frondea facta casa est.
pars, ubi prō rigidīs calamōs statuēre columnīs,
dēsuper extentās imposuēre togās.
sōle tamen vīnōque calent, annōsque precantur
quot sūmant cyathōs, ad numerumque bibunt.
illīc et cantant quicquid didicēre theātrīs,
et iactant facilēs ad sua verba manūs;
et dūcunt positō dūrās crātēre chorēās,
cultaque diffūsīs saltat amīca comīs.
cum redeunt, titubant et sunt spectācula volgī,
et 'fortūnātōs' obvia turba vocat.
occurrit nūper (vīsa est mihi dīgna relātū)
pompa: senem pōtum pōta trahēbat anus.

19

Iamque pedem referēns cāsūs ēvāserat omnēs,
redditaque Eurydicē superās veniēbat ad aurās
pōne sequēns (namque hanc dederat Prōserpina lēgem),
cum subita incautum dēmentia cēpit amantem,
īgnōscenda quidem, scīrent sī īgnōscere Mānēs:

restitit, Eurydicēnque suam iam lūce sub ipsā
immemor, heu, victusque animī respexit. ibi omnis
effūsus labor, atque immītis rupta tyrannī
foedera, terque fragor stāgnī est audītus Avernī.
illa ‘Quis et mē’ inquit ‘miseram et tē perdidit, Orpheu,
quis tantus furor? ēn iterum crūdēlia retrō
fāta vocant, conditque natantia lūmina somnus.
iamque valē: feror ingentī circumdata nocte,
invalidāsque tibī tendēns, heu nōn tua, palmās.’
dīxit, et ex oculīs subitō ceu fūmus in aurās
commīxtus tenuēs fūgit dīversa, neque illum
prēnsantem nēquīquam umbrās et multa volentem
dīcere praetereā vīdit; nec portitor Orcī
amplius obiectam passus trānsīre palūdem.

20

Saevit atrōx Volcēns, nec tēlī cōnspicit ūsquam
auctōrem nec quō sē ārdēns immīttere possit.
‘Tū tamen intereā calidō mihi sanguine poenās
persolvēs ambōrum,’ inquit; simul ēnse reclūsō
ībat in Euryalum. tunc vērō exterritus, āmēns
clāmābat Nīsus, nec sē cēlāre tenebrīs
amplius aut tantum potuit perferre dolōrem.
‘Mē, mē, adsum quī fēcī, in mē convertite ferrum,
ō Rutulī; mea fraus omnis; nihil iste nec ausus
nec potuit (caelum hōc et cōnscia sīdera testor),
tantum īnfēlīcem nimium dīlēxit amīcum.’
tālia dicta dabat; sed vīribus ēnsis adāctus
trānsabiit costās et candida pectora rumpit.
volvitur Euryalus lētō, pulchrōsque per artūs
it cruor, inque umerōs cervīx conlāpsa recumbit:
purpureus velutī cum flōs succīsus arātrō
languēscit moriēns, lassōve papāvera collō

dēmīsēre caput, pluviā cum forte gravantur.
at Nīsus ruit in mediōs sōlumque per omnēs
Volcentem petit, in sōlō Volcente morātur.
quem circum glomerātī hostēs hinc comminus atque hinc
prōturbant. īnstat nōn sētius ac rotat ēnsem
fulmineum, dōnec Rutulī clāmantis in ōre
condidit adversō et moriēns animam abstulit hostī.
tum super exanimum sēsē prōiēcit amīcum
cōnfossus placidāque ibi dēmum morte quiēvit.

21

Tullius Terentiae suae s. d.

Valētūdinem tuam velim cūrēs dīligentissimē. nam mihi et scrīptum et nūntiātum est tē in febrim subitō incidisse. quod celeriter mē fēcistī dē Caesaris lītterīs certiōrem, fēcistī mihi grātum. item posthāc, sī quid opus erit, sī quid acciderit novī, faciēs ut sciam. cūrā ut valeās. valē. d. iiii. Nōn. Iūn.

22

Tullius Terentiae suae s. d.

Quod nōs in Ītaliam salvōs vēnisse gaudēs, perpetuō gaudeās velim. sed perturbātī dolōre animī māgnīsque iniūriīs metuō nē id cōnsiliī cēperimus quod nōn facile explicāre possīmus. quārē quantum potes adiuvā. quid autem possīs mihi in mentem nōn venit. in viam quod tē dēs hōc tempore nihil est; et longum est iter et nōn tūtum; et nōn videō quid prōdesse possīs sī vēneris. valē. d. prid. Nōnās Novembrēs Brundisiō.

23

TULLIUS TERENTIAE SUAE S. D.

In māximīs meīs dolōribus excruciat mē valētūdō Tulliae nostrae. dē quā nihil est quod ad tē plūra scrībam: tibi enim aequē māgnae cūrae esse certō sciō. quod mē propius voltis accēdere, videō ita esse faciendum: etiam ante fēcissem, sed mē multa impedīvērunt quae nē nunc quidem expedīta sunt. sed ā Pompōniō exspectō lītterās, quās ad mē quam prīmum perferendās cūrēs velim. dā operam ut valeās.

24

Pōns sublicius iter paene hostibus dedit. sed Horātius Cocles, cum captum repentīnō impetū Iāniculum vīdisset, 'Pontem,' inquit, 'ferrō īgnī, quācumque vī potestis, interrumpite. ego impetum hostium excipiam.' vādit inde in prīmum aditum pontis. duōs tamen cum eō pudor tenuit, Spurium Larcium ac Titum Herminium, ambōs clārōs genere factīsque. cum hīs prīmam perīculī procellam sustinuit: deinde eōs quoque ipsōs exiguā parte pontis relictā, cēdere in tūtum coēgit. cūnctātī aliquamdiū sunt hostēs, dum alius alium, ut proelium incipiant, circumspectant. pudor deinde commōvit aciem, et clāmōre sublātō undique in ūnum hostem tēla coniciunt. quae cum in obiectō cūncta scūtō haesissent, iam impetū cōnābantur dētrūdere virum, cum simul fragor ruptī pontis simul clāmor Rōmānōrum impetum sustinuit. tum Cocles 'Tiberīne pater,' inquit, 'tē sāncte precor, haec arma et hunc mīlitem propitiō flūmine accipiās'. ita sīc armātus in Tiberim dēsiluit et incolumis ad suōs trānāvit. grāta ergā tantam virtūtem cīvitās fuit. statuā in comitiō positā, agrī quantum ūnō diē circumarāvit datum.

25

Sextus fīlius Superbī trānsfūgit ex compositō Gabiōs, patris in sē saevitiam intolerābilem conquerēns, et benīgnē ā Gabīnīs excipitur. tandem etiam dux bellī legitur. itaque postquam satis vīrium ad omnēs cōnātūs vidēbat, tum ex suīs ūnum scīscitātum Rōmam ad patrem mīttit, quidnam sē facere vellet. huic nūntiō, quia, crēdō, dubiae fideī vidēbātur, nihil vōce respōnsum est: rēx velut dēlīberābundus in hortum aedium trānsit sequente nūntiō fīliī. ibi inambulāns tacitus summa papāverum capita dīcitur baculō dēcussisse. interrogandō exspectandōque respōnsum nūntius fessus ut rē imperfectā redit Gabiōs. quae dīxerit quaeque vīderit refert: seu īrā seu odiō seu superbiā īnsitā ingeniō nūllam eum vōcem ēmīsisse. Sextus ubi quid vellet parēns intellēxit, prīmōrēs cīvitātis interēmit. bona eōrum multitūdinī dīvīsa sunt: largītiōnēs inde praedaeque, et dulcēdine prīvātī commodī sēnsus malōrum pūblicōrum adimī, dōnec orba cōnsiliō auxiliōque Gabīna rēs rēgī Rōmānō sine ūllā dīmicātiōne in manum trāditur.

26

Gāius Mūcius, adulēscēns nōbilis, prīmō suā sponte penetrāre in hostium castra cōnstituit: dein metuēns nē, sī cōnsulum iniūssū et īgnārīs omnibus īret, forte dēprehēnsus ā cūstōdibus Rōmānīs retraherētur ut trānsfuga, senātum adit. ‘Trānsīre Tiberim,’ inquit, ‘patrēs, et intrāre, sī possim, castra hostium volō nōn praedō nec populātiōnum invicem ultor: māius, sī dī adiuvant, in animō est facinus.’ adprobant patrēs: abditō intrā vēstem ferrō proficīscitur. ubi eō vēnit, in cōnfertissimā turbā prope rēgium tribūnal

cōnstitit. ibi cum stīpendium mīlitibus forte darētur, scrība cum rēge sedēns parī ferē ōrnātū multa agēbat. Mūcius timēns scīscitārī uter Porsenna esset scrībam prō rēge obtruncat. vādentem inde cum reprehēnsum rēgiī satellitēs retrāxissent, ante tribūnal rēgis dēstitūtus—tum quoque inter tantās fortūnae minās metuendus magis quam metuēns—'Rōmānus sum,' inquit, 'cīvis, Gāium Mūcium vocant: hostis hostem occīdere voluī, nec ad mortem minus animī est quam fuit ad caedem: et facere et patī fortia Rōmānum est. nec ūnus in tē ego hōs animōs gessī: longus post mē ōrdō est idem petentium decus: hōc tibi iuventūs Rōmāna indīcimus bellum.' cum rēx īrā īnfēnsus perīculōque conterritus circumdarī īgnēs minitābundus iubēret, 'Ēn tibi,' inquit, 'ut sentiās, quam vīle corpus sit hīs, quī māgnam glōriam vident:' dextramque accēnsō ad sacrificium foculō iniēcit. prope attonitus mīrāculō rēx cum ā sēde suā prōsiluisset āmovērīque ab altāribus iūssisset, 'Tū vērō abī' inquit, 'in tē magis quam in mē hostīlia ausus'. tunc Mūcius, 'Quandō quidem' inquit 'est apud tē virtūtī honor, ut beneficiō tuleris ā mē quod minīs nequīstī: trecentī coniūrāvimus prīncipēs iuventūtis Rōmānae, ut in tē hāc viā grassārēmur: mea prīma sors fuit: cēterī suō quisque tempore aderunt'. Mūciō posteā Scaevolae ā clāde dextrae manūs cōgnōmen inditum.

27

Apud Mantinēam pūgnāns Epamīnōndās sparō ēminus percussus concidit. hōc cāsū aliquantum retardātī sunt Boeōtiī, neque tamen prius pūgnā excēssērunt, quam repūgnantēs prōflīgāvērunt. at Epamīnōndās cum animadverteret mortiferum sē volnus accēpisse, simulque sī ferrum extrāxisset, animam

statim ēmīssūrum, ūsque eō retinuit, quoad renūntiātum est vīcisse Boeōtiōs. id postquam audīvit, ‘Satis’ inquit ‘vīxī: invictus enim morior’. tum ferrō extrāctō cōnfēstim exanimātus est.

28

At barbarī, cōnsiliō Rōmānōrum cōgnitō, nostrōs nāvibus ēgredī prohibēbant. atque nostrīs mīlitibus cūnctantibus, māximē propter altitūdinem maris, quī decimae legiōnis aquilam ferēbat, obtestātus deōs, ut ea rēs legiōnī fēlīciter ēvenīret, ‘Dēsilīte,’ inquit, ‘mīlitēs, nisi voltis aquilam hostibus prōdere: ego certē meum reī pūblicae atque imperātōrī officium praestiterō’. hōc cum māgnā vōce dīxisset, sē ex nāvī prōiēcit atque in hostēs aquilam ferre coepit. tum nostrī cohortātī inter sē, nē tantum dēdecus admītterētur, ūniversī ex nāvī dēsiluērunt, et in hostēs impetum fēcērunt.

29

C. Plīnius Calpurniō Macrō suō s.

Bene est mihi, quia tibi bene est. habēs uxōrem tēcum, habēs fīlium; frueris marī, fontibus, viridibus, agrō, vīllā amoenissimā. neque enim dubitō esse amoenissimam, in quā sē composuerat homo fēlīcior ante quam fēlīcissimus fieret. ego in Tūscīs et vēnor et studeō, quae interdum alternīs interdum simul faciō, nec tamen adhūc possum prōnūntiāre utrum sit difficilius capere aliquid an scrībere. valē.

30

C. Plīnius Sabīniānō suō s.

Lībertus tuus, cuī suscēnsēre tē dīxerās, vēnit ad mē advolūtusque pedibus meīs tanquam tuīs haesit. flēvit multum, multum rogāvit, multum etiam tacuit; in summā, fēcit mihi fidem paenitentiae. vērē crēdō ēmendātum, quia dēlīquisse sē sentit. īrāsceris, sciō, et īrāsceris meritō, id quoque sciō: sed tunc praecipua mānsuētūdinis laus, cum īrae causa iūstissima est. amāstī hominem et, spērō, amābis: interim sufficit ut exōrārī tē sinās. licēbit rūrsus īrāscī, sī meruerit, quod exōrātus excūsātius faciēs. remītte aliquid adulēscentiae ipsīus, remītte lacrimīs, remītte indulgentiae tuae: nē torserīs illum, nē torserīs etiam tē. torquēris enim, cum tam lēnis īrāsceris. vereor nē videar nōn rogāre sed cōgere, sī precibus ēius meās iūnxerō. iungam tamen tantō plēnius et effūsius, quantō ipsum ācrius sevēriusque corripuī, dēstrīctē minātus nunquam mē posteā rogātūrum. hōc illī, quem terrērī oportēbat, tibi nōn idem. nam fortasse iterum rogābō, impetrābō iterum; sit modo tāle ut rogāre mē, ut praestāre tē deceat. valē.

Part II

31

Haec est prīma aetās populī Rōmānī, et quasi īnfantia, quam habuit sub rēgibus septem, quādam fātōrum industriā, tam variīs ingeniō, ut reīpūblicae ratiō et ūtilitās postulābat. nam quid Rōmulō ārdentius? tālī opus fuit, ut invāderet rēgnum. quid Numā rēligiōsius? ita rēs popōscit, ut ferōx populus deōrum metū mītigārētur. quid ille mīlitiae artifex Tullus? bellātōribus virīs quam necessārius, ut acueret ratiōne virtūtem. quid aedificātor Ancus? ut urbem colōniā extenderet, ponte iungeret, mūrō tuērētur. iam vērō Tarquiniī ōrnāmenta et īnsīgnia quantam prīncipī populō addidērunt ex ipsō habitū dīgnitātem? āctus ā Serviō cēnsus quid effēcit, nisi ut ipsa sē nōsset rēspūblica? postrēmō Superbī illīus importūna dominātiō nōn nihil, immō vel plūrimum prōfuit. sīc enim effectus est, ut agitātus iniūriīs populus cupiditāte lībertātis incenderētur.

32

Pulsīs ex urbe rēgibus, prīma prō lībertāte arma correpta sunt. nam Porsenna rēx Ētrūscōrum ingentibus cōpiīs aderat, et Tarquiniōs manū redūcēbat. hunc tamen, quamvīs et armīs, et famē urgēret, occupātōque Iāniculō ipsīs Urbis faucibus incubāret, sustinuit, reppulit, novissimē etiam tantā admīrātiōne perculit, ut superior ultrō cum paene victīs amīcitiae

foedera ferīret. tunc illa Rōmāna prōdigia atque mīrācula, Horātius, Mucius, Cloelia; quī nisi in annālibus forent, hodiē fābulae vidērentur. quippe Horātius Cocles postquam hostēs undique īnstantēs sōlus summovēre nōn poterat, ponte recīsō trānsnatat Tiberim, nec arma dīmīttit. Mucius Scaevola rēgem per īnsidiās in castrīs ipsīus aggreditur: sed ubi frūstrātō circā purpurātum ēius ictū tenētur, ārdentibus focīs īnicit manum, terrōremque geminat dolō. 'Ut sciās,' inquit, 'quem virum effūgerīs, idem trecentī iūrāvimus;' cum interim (immāne dictū!) hīc interritus, ille trepidāret, tanquam manus rēgis ārdēret. sīc quidem virī. sed nē quis sexus ā laude cēssāret, ecce et virginum virtūs. ūna ex obsidibus ēlāpsa cūstōdiam, Cloelia, per patrium flūmen equitābat. et rēx quidem tot tantīsque virtutum territus mōnstrīs valēre līberōsque esse iūssit. Tarquiniī tamdiū dīmicāvērunt, dōnec Aruntem fīlium rēgis manū suā Brūtus occīdit, superque ipsum mūtuō volnere exspīrāvit.

33

Dream of Ilia, Aeneas' Daughter

excita cum tremulīs anus attulit artubus lūmen,
tālia commemorat lacrimāns, exterrita somnō:
'Euridicā prōgnāta, pater quam noster amāvit,
vīrēs vītaque corpus meum nūnc dēserit omne.
nam mē vīsus homō pulcher per amoena salicta
et rīpās raptāre locōsque novōs; ita sōla
postillā, germāna sorōr, errāre vidēbar
tardaque vēstīgāre et quaerere tē, neque posse
corde capessere, sēmita nūlla pedem stabilībat.
exīn compellāre pater mē vōce vidētur
hīs verbīs: 'Ō grāta, tibī sunt ante ferendae

aerumnae, post ex fluviō fortūna resistet'.
haec ecfātus pater, germāna, repente recēssit
nec sēsē dedit in cōnspectum corde cupītus,
quamquam multa manūs ad caelī caerula templa
tendēbam lacrimāns et blandā vōce vocābam.
vix aegrō tum corde meō mē somnus relīquit.'

34

vix ego Sāturnō quemquam rēgnante vidēbam,
  cūius nōn animō dulcia lucra forent.
tempore crēvit amor, quī nunc est summus, habendī:
  vix ultrā quō iam prōgrediātur habet.
plūris opēs nunc sunt quam prīscī temporis annīs,
  dum populus pauper, dum nova Rōma fuit,
dum casa Mārtigenam capiēbat parva Quirīnum,
  et dabat exiguum flūminis ulva torum.
Iūppiter angustā vix tōtus stābat in urbe,
  inque Iovis dextrā fictile fulmen erat.
frondibus ōrnābant quae nunc Capitōlia gemmīs,
  pāscēbatque suōs ipse senātor ovēs;
nec pudor in stipulā placidam cēpisse quiētem
  et faenum capitī supposuisse fuit.
iūra dabat populīs positō modo praetor arātrō,
  et levis argentī lammina crīmen erat.
at postquam fortūna locī caput extulit hūius,
  et tetigit summō vertice Rōma deōs,
crēvērunt et opēs et opum furiōsa cupīdō,
  et cum possideant plūrima, plūra petunt.

35

In antīquīs annālibus memoria super librīs Sibyllīnīs haec prōdita est. anus hospita atque incōgnita ad Tarquinium Superbum rēgem adiit, novem librōs

ferēns, quōs esse dīcēbat dīvīna ōrācula: eōs velle vēnumdare. Tarquinius pretium percūnctātus est: mulier nimium immēnsum popōscit. rēx, quasi anus aetāte dēsiperet, dērīsit. tum illa foculum cōram cum īgnī apposuit, et trēs librōs ex novem dēūssit; et ecquid reliquōs sex eōdem pretiō emere vellet, rēgem interrogāvit. sed enim Tarquinius id multō rīsit magis; dīxitque anum iam procul dubiō dēlīrāre mulier ibīdem statim trēs librōs aliōs exūssit; atque id ipsum dēnuō placidē interrogāvit, an trēs reliquōs eōdem pretiō emat. Tarquinius ōre iam sēriō atque attentiōre animō fit. eam cōnstantiam cōnfīdentiamque nōn īnsuper habendam intellegit: librōs trēs reliquōs mercātur nihilō minōre pretiō quam quod erat petītum prō omnibus. sed eam mulierem tunc ā Tarquiniō dīgressam posteā nūsquam locī vīsam cōnstitit. librī trēs in sacrārium conditī Sibyllīnī appellātī. ad eōs, quasi ad ōrāculum, xv virī adeunt, cum deī immortālēs pūblicē cōnsulendī sunt.

36

Ultima Tarquinius Rōmānae gentis habēbat
  rēgna, vir iniūstus, fortis ad arma tamen.
cēperat hīc aliās, aliās ēverterat urbēs,
  et Gabiōs turpī fēcerat arte suōs.
namque trium minimus, prōlēs manifesta Superbī,
  in mediōs hostēs nocte silente venit.
nūdārant gladiōs: 'Occīdite,' dīxit, 'inermem;
  hōc cupiant frātrēs Tarquiniusque pater,
quī mea crūdēlī lacerāvit verbere terga'.
  dīcere ut hōc posset verbera passus erat.
lūna fuit: spectant iuvenem gladiōsque recondunt
  tergaque, dēductā vēste, notāta vident:

flent quoque et ut sēcum tueātur bella precantur:
 callidus īgnārīs adnuit ille virīs.
iamque potēns mīssō genitōrem appellat amīcō,
 perdendī Gabiōs quod sibi mōnstret iter.
hortus odōrātīs suberat cultissimus herbīs,
 sectus humum rīvō lēne sonantis aquae.
illīc Tarquinius mandāta latentia nātī
 accipit, et virgā līlia summa metit.
nūntius ut rediit dēcussaque līlia dīxit,
 fīlius 'Āgnōscō iūssa parentis' ait.
nec mora, prīncipibus caesīs ex urbe Gabīnā,
 trāduntur ducibus moenia nūda suīs.
ecce, nefās vīsū, mediīs altāribus anguis
 exit et exstīnctīs īgnibus exta rapit.
cōnsulitur Phoebus. sors est ita reddita: 'Mātrī
 quī dederit prīnceps ōscula, victor erit.'
ōscula quisque suae mātrī properāta tulērunt,
 nōn intellēctō crēdula turba deō.
Brūtus erat stultī sapiēns imitātor, ut esset
 tūtus ab īnsidiīs, dīre Superbe, tuīs.
ille iacēns prōnus mātrī dedit ōscula Terrae,
 crēditus offēnsō prōcubuisse pede.

37

Sed et bellum Volscum imminēbat et cīvitās sēcum ipsa discors intestīnō inter patrēs plēbemque flagrābat odiō, māximē propter nexōs ob aes aliēnum. fremēbant, sē, foris prō lībertāte et imperiō dīmicantēs, domī ā cīvibus captōs et oppressōs esse, tūtiōremque in bellō quam in pāce et inter hostēs quam inter cīvēs lībertātem plēbis esse; invidiamque eam suā sponte glīscentem īnsīgnis ūnīus calamitās accendit. māgnō nātū quīdam cum omnium malōrum suōrum īnsīgnibus sē in forum prōiēcit. obsita

erat squālōre vēstis, foedior corporis habitus pallōre ac maciē peremptī; ad hōc prōmīssa barba et capillī efferāvērunt speciem ōris. nōscitābātur tamen in tantā dēfōrmitāte, et ōrdinēs dūxisse aiēbant, aliaque mīlitiae decora volgō miserantēs eum iactābant; ipse testēs honestārum aliquot locīs pūgnārum cicātrīcēs adversō pectore ostentābat. scīscitantibus, unde ille habitus, unde dēfōrmitās, cum circumfūsa turba esset prope in cōntiōnis modum, Sabīnō bellō ait sē mīlitantem, quia propter populātiōnēs agrī nōn frūctū modo caruerit, sed vīlla incēnsa fuerit, dīrepta omnia, pecora abācta, tribūtum inīquō suō tempore imperātum, aes aliēnum fēcisse. id cumulātum ūsūrīs prīmō sē agrō paternō avītōque exuisse, deinde fortūnīs aliīs; postrēmō velut tābem pervēnisse ad corpus; ductum sē ab crēditōre nōn in servitium, sed in ergastulum et carnificīnam esse. inde ostentāre tergum foedum recentibus vēstīgiīs verberum. ad haec vīsa audītaque clāmor ingēns oritur. nōn iam forō sē tumultus tenet, sed passim tōtam urbem pervādit. nexī vīnctī solūtīque sē undique in pūblicum prōripiunt, implōrant Quirītium fidem. nūllō locō deest sēditiōnis voluntārius comes; multīs passim āgminibus per omnēs viās cum clāmōre in forum curritur. māgnō cum perīculō suō, quī forte patrum in forō erant, in eam turbam incidērunt; nec temperātum manibus foret, nī properē cōnsulēs, P. Servīlius et App. Claudius, ad comprimendam sēditiōnem intervēnissent. at in eōs multitūdō versa ostentāre vincula sua dēfōrmitātemque aliam. haec sē meritōs dīcere, probantēs suam quisque alius alibī mīlitiam; postulāre multō mināciter magis quam suppliciter, ut senātum vocārent; cūriamque ipsī futūrī arbitrī moderātōrēsque pūblicī cōnsiliī circumsistunt. paucī admodum patrum, quōs cāsus obtulerat, contrāctī

ab cōnsulibus; cēterōs metus nōn cūriā modo, sed etiam forō arcēbat, nec agī quicquam per īnfrequentiam poterat senātūs. tum vērō ēlūdī atque extrahī sē multitūdō putāre, et patrum quī abessent, nōn cāsū, nōn metū, sed impediendae reī causā abesse, et cōnsulēs ipsōs tergiversārī, nec dubiē ludibriō esse miseriās suās. iam prope erat, ut nē cōnsulum quidem māiestās coercēret īrās hominum, cum incertī morandō an veniendō plūs perīculī contraherent, tandem in senātum veniunt. frequentīque tandem cūriā, nōn modo inter patrēs, sed nē inter cōnsulēs quidem ipsōs satis conveniēbat. Appius, vehementis ingeniī vir, imperiō cōnsulārī rem agendam cēnsēbat: ūnō aut alterō arreptō, quiētūrōs aliōs; Servīlius, lēnibus remediīs aptior, concitātōs animōs flectī quam frangī putābat cum tūtius, tum facilius esse.

Timor inde patrēs incēssit, nē, sī dīmīssus exercitus foret, rūrsus coetūs occultī coniūrātiōnēsque fierent. itaque quamquam per dictātōrem dīlēctus habitus esset, tamen, quoniam in cōnsulum verba iūrāsset, sacrāmentō tenērī mīlitem ratī, per causam renovātī ab Aequīs bellī ēdūcī ex urbe legiōnēs iūssēre. quō factō mātūrāta est sēditiō. et prīmō agitātum dīcitur dē cōnsulum caede, ut solverentur sacrāmentō; doctōs deinde, nūllam scelere rēligiōnem exsolvī, Siciniō quōdam auctōre iniūssū cōnsulum in Sacrum montem sēcēssisse. (trans Aniēnem amnem est, tria ab urbe mīlia passuum. ea frequentior fāma est quam, cūius Pīsō auctor est, in Aventīnum sēcēssiōnem factam esse.) ibi sine ūllō duce vāllō fossāque commūnītīs castrīs, quiētī, rem nūllam nisi necessāriam ad victum sūmendō, per aliquot diēs neque lacessītī neque lacessentēs sēsē tenuēre. pavor ingēns in urbe, metūque mūtuō sus-

pēnsa erant omnia. timēre relicta ab suīs plēbēs violentiam patrum; timēre patrēs residem in urbe plēbem, incertī, manēre eam an abīre māllent. quamdiū autem tranquillam, quae sēcēsserit, multitūdinem fore? quid futūrum deinde, sī quod externum interim bellum exsistat? nūllam profectō nisi in concordiā cīvium spem reliquam dūcere; eam per aequa, per inīqua reconciliandam cīvitātī esse. placuit igitur ōrātōrem ad plēbem mīttī Menēnium Agrippam, fācundum virum et, quod inde oriundus erat, plēbī cārum. is, intrōmīssus in castra, prīscō illō dīcendī et horridō modō nihil aliud quam hōc narrāsse fertur: tempore, quō in homine nōn, ut nunc, omnia in ūnum cōnsentientia, sed singulīs membrīs suum cuīque cōnsilium, suus sermō fuerit, indīgnātās reliquās partēs, suā cūrā, suō labōre ac ministeriō ventrī omnia quaerī, ventrem in mediō quiētum nihil aliud quam datīs voluptātibus fruī; cōnspīrāsse inde, nē manūs ad ōs cibum ferrent, nec ōs acciperet datum, nec dentēs cōnficerent. hāc īrā, dum ventrem famē domāre vellent, ipsa ūnā membra tōtumque corpus ad extrēmam tābem vēnisse, inde appāruisse, ventris quoque haud sēgne ministerium esse, nec magis alī quam alere eum, reddentem in omnēs corporis partēs hunc, quō vīvimus vigēmusque, dīvīsum pariter in vēnās mātūrum cōnfectō cibō sanguinem. comparandō hinc, quam intestīna corporis sēditiō similis esset īrae plēbis in patrēs, flexisse mentēs hominum. agī deinde dē concordiā coeptum, concēssumque in condiciōnēs, ut plēbī suī magistrātūs essent sacrōsānctī, quibus auxiliī lātiō adversus cōnsulēs esset, nēve cuī patrum capere eum magistrātum licēret. ita tribūnī plēbeī creātī duo. hī trēs collēgās sibi creāvērunt.

38

Sed Vēiēns hostis, assiduus magis quam gravis, contumēliīs saepius quam perīculō animōs agitābat, quod nūllō tempore neglegī poterat aut āvertī aliō sinēbat. tum Fabia gēns senātum adiit. Fabius cōnsul prō gente loquitur: 'Assiduō magis quam māgnō praesidiō, ut scītis, patrēs cōnscrīptī, bellum Vēiens eget: vōs alia bella cūrāte, Fabiōs hostēs Vēientibus date: auctōrēs sumus, tūtam ibi māiestātem Rōmānī nōminis fore: nostrum id nōbīs velut familiāre bellum prīvātō sūmptū gerere in animō est: rēs pūblica et mīlite illīc et pecūniā vacet'. grātiae ingentēs āctae. cōnsul ē cūriā ēgressus comitante Fabiōrum āgmine, quī in vēstibulō cūriae senātūs cōnsultum exspectantēs steterant, domum redit. iūssī armātī posterō diē ad līmen cōnsulis adesse. domōs inde discēdunt. mānat tōtā urbe rūmor, Fabiōs ad caelum ferunt: familiam ūnam subiisse cīvitātis onus. Fabiī posterō diē arma capiunt, quō iūssī erant conveniunt. cōnsul palūdātus ēgrediēns in vēstibulō gentem omnem suam īnstructō āgmine videt, acceptus in medium sīgna ferrī iubet. nunquam exercitus neque minor numerō neque clārior fāmā et admīrātiōne hominum per urbem incēssit: sex et trecentī mīlites, omnēs patriciī, omnēs ūnīus gentis, quōrum nēminem ducem sperneret ēgregius quibuslibet temporibus senātus, ībant, ūnīus familiae vīribus Vēientī populō pēstem minitantēs. profectī ad Cremeram flūmen perveniunt: is opportūnus vīsus locus commūniendō praesidiō. L. Aemilius inde et G. Servīlius cōnsulēs factī, et nōn ad praesidium modo tūtandum Fabiī satis erant, sed tōtā regiōne, quā Tūscus ager Rōmānō adiacet, sua tūta omnia, īnfēsta hostium vagantēs per utrumque fīnem fēcēre.

id prīmō acerbum indīgnumque Vēientibus est vīsum, inde cōnsilium ex rē nātum īnsidiīs ferōcem hostem captandī. pecora praedantibus aliquotiēns, velut cāsū incidisset, obviam ācta, et agrestium fugā vastī relictī agrī, et subsidia armātōrum ad arcendās populātiōnēs mīssa saepius simulātō quam vērō pavōre refūgērunt. iamque Fabiī adeō contempserant hostem, ut sua invicta arma neque locō neque tempore ūllō crēderent sūstinērī posse. haec spēs prōvexit, ut ad cōnspecta procul ā Cremerā māgnō campī intervāllō pecora, quamquam rāra hostium apparēbant arma, dēcurrerent: et cum imprōvidī effūsō cursū īnsidiās circā ipsum iter locātās superāssent, pālātīque passim vaga raperent pecora, subitō ex īnsidiīs cōnsurgitur et adversī et undique hostēs erant. prīmō clāmor circumlātus exterruit, dein tēla ab omnī parte accidēbant: coeuntibusque Ētrūscīs iam continentī āgmine armātōrum saeptī, quō magis sē hostis īnferēbat, cōgēbantur breviōre spatiō et ipsī orbem colligere: quae rēs et paucitātem eōrum īnsīgnem et multitūdinem Ētrūscōrum multiplicātīs in arctō ōrdinibus faciēbat. tum omīssā pūgnā, quam in omnēs partēs parem intenderant, in ūnum locum sē omnēs inclīnant: eō nīsī corporibus armīsque rūpēre cuneō viam. dūxit via in ēditum lēniter collem. inde prīmō restitēre. mox, ut respīrandī superior locus spatium dedit recipiendīque ā pavōre tantō animum, prōpulēre etiam subeuntēs, vincēbantque auxiliō locī paucitās, nī iugō circummīssus Vēiēns in verticem collis ēvāsisset. ita superior rūrsus hostis factus: Fabiī caesī ad ūnum omnēs praesidiumque expūgnātum. trecentōs sex periisse satis convenit, ūnum prope pūberem aetāte relictum stirpem gentī Fabiae dubiīsque rēbus populī Rōmānī saepe domī bellīque vel māximum futūrum auxilium.

39

Haec fuit illa diēs, in quā Vēientibus armīs
ter centum Fabiī ter cecidēre duo.
ūna domus vīrēs et onus suscēperat urbis,
sūmunt gentīlēs arma professa manūs.
ēgreditur castrīs mīles generōsus ab īsdem,
ē quīs dux fierī quīlibet aptus erat.
ut celerī passū Cremeram tetigēre rapācem,
turbidus hībernīs ille fluēbat aquīs.
castra locō pōnunt: dēstrictīs ēnsibus ipsī
Tyrrhēnum validō Mārte per āgmen eunt:
nōn aliter quam cum Libycā dē caute leōnēs
invādunt sparsōs lāta per arva gregēs.
diffugiunt hostēs inhonestaque volnera tergō
accipiunt: Tūscō sanguine terra rubet.
sīc iterum, sīc saepe cadunt. ubi vincere apertē
nōn datur, īnsidiās armaque tecta parant.
campus erat, campī claudēbant ultima collēs
silvaque montānās occulere apta ferās.
in mediō paucōs armentaque rāra relinquunt,
cētera virgultīs abdita turba latet.
ecce velut torrēns undīs pluviālibus auctus
aut nive, quae Zephyrō victa tepente fluit,
per sata perque viās fertur, nec, ut ante solēbat,
rīpārum clausās margine fīnit aquās:
sīc Fabiī vallem lātīs discursibus implent,
quodque vident, sternunt; nec metus alter inest.
quō ruitis, generōsa domus? male crēditis hostī:
simplex nōbilitās, perfida tēla cavē.
fraude perit virtūs: in apertōs undique campōs
prōsiliunt hostēs et latus omne tenent.
quid faciant paucī contrā tot mīlia fortēs?
quidve, quod in miserō tempore restet, adest?

sīcut aper longē silvīs Laurentibus āctus
 fulmineō celerēs dissipat ōre canēs,
mox tamen ipse perit, sīc nōn moriuntur inultī,
 volneraque alternā dantque feruntque manū.
ūna diēs Fabiōs ad bellum mīserat omnēs:
 ad bellum mīssōs perdidit ūna diēs.
ut tamen Herculeae superessent sēmina gentis,
 crēdibile est ipsōs cōnsuluisse deōs.
nam puer impūbēs et adhūc nōn ūtilis armīs
 ūnus dē Fabiā gente relictus erat:
scīlicet ut possēs ōlim tū, Māxime, nāscī,
 cuī rēs cūnctandō restituenda foret.

40

Vīs Sabīnōrum ingēns prope ad moenia urbis īnfēstā populātiōne vēnit; foedātī agrī, terror iniectus urbī est. tum plēbs benīgnē arma cēpit; reclāmantibus frūstrā tribūnīs māgnī duo exercitūs scrīptī. alterum Nautius contrā Sabīnōs dūxit, castrīsque ad Ērētum positīs, per expedītiōnēs parvās, plērumque nocturnīs incursiōnibus, tantam vastitātem in Sabīnō agrō reddidit ut comparātī ad eam prope intāctī bellō fīnēs Rōmānī vidērentur. Minuciō neque fortūna nec vīs animī eadem in gerendō negōtiō fuit; nam cum haud procul ab hoste castra posuisset, nūllā māgnopere clāde acceptā, castrīs sē pavidus tenēbat. quod ubi sēnsērunt hostēs, crēvit ex metū aliēnō, ut fit, audācia, et nocte adortī castra, postquam parum vīs aperta prōfēcerat, mūnītiōnēs posterō diē circumdant. quae priusquam undique vāllō obiectae clauderent exitūs, quīnque equitēs inter statiōnēs hostium ēmīssī Rōmam pertulēre cōnsulem exercitumque obsidērī. nihil tam inopīnātum nec tam īnspērātum accidere potuit. itaque tantus pavor,

tanta trepidātiō fuit, quanta sī urbem, nōn castra hostēs obsidērent. Nautium cōnsulem arcessunt. in quō cum parum praesidiī vidērētur dictātōremque dīcī placēret, quī rem perculsam restitueret, L. Quīnctius Cincinnātus cōnsēnsū omnium dīcitur.

Operae pretium est audīre, quia omnia prae dīvitiīs hūmāna spernunt neque honōrī māgnō locum neque virtūtī putant esse, nisi ubi effūsē affluant opēs. spēs ūnica imperiī populī Rōmānī, L. Quīnctius trāns Tiberim, contrā eum ipsum locum, ubi nunc nāvālia sunt, quattuor iūgerum colēbat agrum, quae prāta Quīnctia vocantur. ibi ab legātīs, seu fossam fodiēns pālae innīxus, seu cum arāret, operī certē, id quod cōnstat, agrestī intentus, salūte datā in vicem redditāque, rogātus, ut, quod bene verteret ipsī reīque pūblicae, togātus mandāta senātus audīret, admīrātus rogitānsque 'Satin' salvē' togam properē ē tuguriō prōferre uxōrem Raciliam iubet. quā simul, abstersō pulvere ac sūdōre, vēlātus prōcēssit, dictātōrem eum lēgātī grātulantēs cōnsalūtant, in urbem vocant; quī terror sit in exercitū, expōnunt. nāvis Quīnctiō pūblicē parāta fuit, trānsvectumque trēs obviam ēgressī fīliī excipiunt, inde aliī propinquī atque amīcī, tum patrum māior pars. eā frequentiā stīpātus, antecēdentibus lictōribus, dēductus est domum. et plēbis concursus ingēns fuit; sed ea nēquāquam tam laeta Quīnctium vīdit, et imperiī nimium et virum ipsō imperiō vehementiōrem rata.

Et illā quidem nocte nihil praeterquam vigilātum est in urbe; posterō diē dictātor cum ante lūcem in forum vēnisset, magistrum equitum dīcit L. Tarquitium, patriciae gentis et quī, cum stīpendia pedibus propter paupertātem fēcisset, bellō tamen prīmus longē Rōmānae iuventūtis habitus esset. cum magistrō equitum in cōntiōnem venit, iūstitium ēdīcit,

claudī tabernās tōtā urbe iubet, vetat quemquam prīvātae quicquam reī agere; tum, quīcumque aetāte mīlitārī essent, armātī cum cibāriīs in diēs quīnque coctīs vāllīsque duodēnīs ante sōlis occāsum in campō adessent; quibus aetās ad mīlitandum gravior esset, vīcīnō mīlitī, dum is arma parāret vāllumque peteret, cibāria coquere iūssit. sīc iuventūs discurrit ad vāllum petendum. sūmpsēre, unde cuīque proximum fuit; prohibitus nēmō est; impigrēque omnēs ad ēdictum dictātōris praestō fuēre. inde compositō āgmine nōn itinerī magis aptē quam proeliō, sī rēs ita tulisset, legiōnēs ipse dictātor, magister equitum suōs equitēs dūcit. in utrōque āgmine, quās tempus ipsum pōscēbat, adhortātiōnēs erant: adderent gradum; mātūrātō opus esse, ut nocte ad hostem pervenīrī posset; cōnsulem exercitumque Rōmānum obsidērī, tertium diem iam clausōs esse; quid quaeque nox aut diēs ferat, incertum esse; pūnctō saepe temporis māximārum rērum mōmenta vertī. 'Accelerā sīgnifer,' 'sequere, mīles,' inter sē quoque grātificantēs dūcibus clāmābant. mediā nocte in Algidum perveniunt et, ut sēnsēre sē iam prope hostēs esse, sīgna cōnstituunt. ibi dictātor, quantum nocte prōspicī poterat, equō circumvectus contemplātusque quī trāctus castrōrum quaeque fōrma esset, tribūnīs mīlitum imperāvit, ut sarcinās in ūnum conicī iubeant, mīlitem cum armīs vāllōque redīre in ōrdinēs suōs. facta, quae imperāvit. tum, quō fuerant ōrdine in viā, exercitum omnem longō āgmine circumdat hostium castrīs et, ubi sīgnum datum sit, clāmōrem omnēs tollere iubet, clāmōre sublātō, ante sē quemque dūcere fossam et iacere vāllum. ēditō imperiō, sīgnum secūtum est. iūssa mīles exsequitur; clāmor hostēs circumsonat. superat inde castra hostium et in castra cōnsulis

venit; alibī pavōrem, alibī gaudium ingēns facit. Rōmānī, cīvīlem esse clāmōrem atque auxilium adesse inter sē grātulantēs, ultrō ex statiōnibus ac vigiliīs territant hostem. cōnsul differendum negat: illō clāmōre nōn adventum modo sīgnificārī, sed rem ab suīs coeptam, mīrumque esse, nī iam exteriōre parte castra hostium oppūgnentur. itaque arma suōs capere et sē subsequī iubet. nocte initum proelium est; legiōnibus dictātōris clāmōre sīgnificant, ab eā quoque parte rem in discrīmine esse. iam sē ad prohibenda circumdarī opera Aequī parābant, cum ab interiōre hoste proeliō coeptō, nē per media sua castra fieret ēruptiō, ā mūnientibus ad pūgnantēs intrōrsum versī vacuam noctem operī dedēre; pūgnātumque cum cōnsule ad lūcem est. lūce prīmā iam circumvāllātī ab dictātōre erant, et vix adversus ūnum exercitum pūgnam sustinēbant. tum ā Quīnctiānō exercitū, quī cōnfēstim ā perfectō opere ad arma rediit, invāditur vāllum. hīc īnstābat nova pūgna; illa nihil remīserat prior. tum ancipitī malō urgente, ā proeliō ad precēs versī hinc dictātōrem, hinc cōnsulem ōrāre, nē in occīdiōne victōriam pōnerent, ut inermēs sē inde abīre sinerent. ab cōnsule ad dictātōrem īre iūssī; is īgnōminiam īnfēnsus addidit; Gracchum Cloelium ducem prīncipēsque aliōs vīnctōs ad sē addūcī iubet, oppidō Corbiōne dēcēdī. sanguinis sē Aequōrum nōn egēre; licēre abīre, sed, ut exprimātur tandem cōnfessiō, subāctam domitamque esse gentem, sub iugum abitūrōs. tribus hastīs iugum fit, humī fīxīs duābus superque eās trānsversā ūnā dēligātā. sub hōc iugum dictātor Aequōs mīsit.

41

[Appius Claudius, a Decemvir, attempted to enslave Virginia, whose father saved her by slaying her. Uproar followed. The plebs seceded to the Aventine, and were joined by the army. The Decemviri for some time refused to abdicate, but finally the ancient constitution was restored, and new laws passed.]

Cum vasta Rōmae omnia īnsuēta sōlitūdō fēcisset, in forō praeter paucōs seniōrum nēmō esset, vocātīs utique in senātum patribus dēsertum appāruisset forum, plūrēs iam quam Horātius ac Valērius vōciferābantur: 'Quid exspectābitis, patrēs cōnscrīptī? sī decemvirī fīnem pertināciae nōn faciunt, ruere ac dēflagrāre omnia passūrī estis? quod autem istud imperium est, decemvirī, quod amplexī tenētis? tēctīs ac pariētibus iūra dictūrī estis? nōn pudet, lictōrum vestrōrum māiōrem prope numerum in forō cōnspicī quam togātōrum aliōrum? quid, si hostēs ad urbem veniant, factūrī estis? quid, sī plēbs mox, ubi parum sēcēssiōne moveāmur, armāta veniat? occāsūne urbis voltis fīnīre imperium? atquī aut plēbs nōn est habenda aut habendī sunt tribūnī plēbis. nōs citius caruerimus patriciīs magistrātibus quam illī plebēiīs. novam inexpertamque eam potestātem ēripuēre patribus nostrīs, nē nunc dulcēdine semel captī ferant dēsīderium, cum praesertim nec nōs temperēmus imperiīs, quō minus illī auxiliī egeant.' cum haec ex omnī parte iactārentur, victī cōnsēnsū decemvirī, futūrōs sē, quandō ita videātur, in potestāte patrum, affīrmant. id modo simul ōrant ac monent, ut ipsīs ab invidiā caveātur nec suō sanguine ad supplicia patrum plēbem assuēfaciant.

Tum Valērius Horātiusque mīssī ad plēbem condiciōnibus quibus vidērētur revocandam compōnendāsque rēs, decemvirīs quoque ab īrā et impetū multi-

tūdinis praecavēre iubentur. profectī gaudiō ingentī plēbis in castra accipiuntur, quippe līberātōrēs haud dubiē et mōtūs initiō et exitū reī. ob haec eīs advenientibus grātiae āctae; Icilius prō multitūdine verba facit. īdem, cum dē condiciōnibus agerētur, quaerentibus lēgātīs, quae postulāta plēbis essent, compositō iam ante adventum lēgātōrum cōnsiliō, ea postulāvit, ut appārēret, in aequitāte rērum plūs quam in armīs repōnī speī. potestātem enim tribūnīciam prōvocātiōnemque repetēbant, quae ante decemvirōs creātōs auxilia plēbis fuerant, et nē cuī fraudī esset concīsse mīlitēs aut plēbem ad repetendam per sēcēssiōnem lībertātem. dē decemvirōrum modo suppliciō atrōx postulātum fuit; dēdī quippe eōs aequum cēnsēbant, vīvōsque īgnī concremātūrōs minābantur. lēgātī ad ea: 'Quae cōnsiliī fuērunt, adeō aequa postulāstis, ut ultrō vōbīs dēferenda fuerint; lībertātī enim ea praesidia petitis, nōn licentiae ad impūgnandōs aliōs. īrae vestrae magis īgnōscendum quam indulgendum est, quippe quī crūdēlitātis odiō in crūdēlitātem ruitis et prius paene, quam ipsī līberī sītis, dominārī iam in adversāriōs voltis. nunquamne quiēscet cīvitās nostra ā suppliciīs aut patrum in plēbem Rōmānam aut plēbis in patrēs? scūtō vōbīs magis quam gladiō opus est. satis superque humilī est, qui iūre aequō in cīvitāte vīvit, nec īnferendō iniūriam nec patiendō. etiam sī quandō metuendōs vōs praebitūrī estis, cum recuperātīs magistrātibus lēgibusque vestrīs, iūdicia penes vōs erunt dē capite nostrō fortūnīsque, tunc, ut quaeque causa erit, statuētis; nunc lībertātem repetī satis est.' facerent, ut vellent, permīttentibus cūnctīs, mox reditūrōs sē lēgātī rēbus perfectīs affīrmant. profectī cum mandāta plēbis patribus exposuissent, aliī decemvirī, quandō quidem praeter

spem ipsōrum suppliciī suī nūlla mentiō fieret, haud quicquam abnuere; Appius, trucī ingeniō et invidiā praecipuā, odium in sē aliōrum suō in eōs mētiēns odiō, 'Haud īgnārō' inquit 'imminet fortūna. videō, dōnec arma adversāriīs trādantur, differrī adversus nōs certāmen. dandus invidiae est sanguis. nihil nē ego quidem moror, quō minus decemvirātū abeam.' factum senātūs cōnsultum, ut decemvirī sē magistrātū abdicārent, Q. Fūrius pontifex māximus tribūnōs plēbis creāret, et nē cuī fraudī esset sēcēssiō mīlitum plēbisque. hīs senātūs cōnsultīs perfectīs dīmīssō senātū, decemvirī prōdeunt in cōntiōnem abdicantque sē magistrātū, ingentī hominum laetitiā. nūntiantur haec plēbī. lēgātōs quicquid in urbe hominum supererat, prōsequitur. huīc multitūdinī laeta alia turba ex castrīs occurrit. congrātulantur lībertātem concordiamque cīvitātī restitūtam. lēgātī prō cōntiōne: 'Quod bonum faustum fēlīxque sit vōbīs reīque pūblicae, redīte in patriam ad penātēs, coniugēs līberōsque vestrōs; sed, quā hīc modestiā fuistis, ubi nūllīus ager in tot rērum ūsū necessāriō tantae multitūdinī est violātus, eam modestiam ferte in urbem. in Aventīnum īte, unde profectī estis; ibi fēlīcī locō, ubi prīma initia inchoāstis lībertātis vestrae, tribūnōs plēbī creābitis. praestō erit pontifex māximus, quī comitia habeat.' ingēns assēnsus alacritāsque cūncta approbantium fuit. convellunt inde sīgna, profectīque Rōmam certant cum obviīs gaudiō. armātī per urbem silentiō in Aventīnum perveniunt. ibi extemplō, pontifice māximō comitia habente, tribūnōs plēbis creāvērunt. L. Icilius extemplō plēbem rogāvit et plēbs scīvit, nē cuī fraudī esset sēcēssiō ab decemvirīs facta. cōnfēstim dē cōnsulibus creandīs cum prōvocātiōne M. Duillius rogātiōnem pertulit. ea omnia in prātīs

Flāminiīs conciliō plēbis ācta, quem nunc circum Flāminium appellant. per interrēgem deinde cōnsulēs creātī L. Valerius, M. Horātius, quī extemplō magistrātum occēpērunt. quōrum cōnsulātus populāris sine ūllā patrum iniūriā nec sine offēnsiōne fuit; quicquid enim lībertātī plēbis cavērētur, id suīs dēcēdere opibus crēdēbant. omnium prīmum, cum velut in contrōversō iūre esset, tenērenturne patrēs plēbīscītīs, lēgem centuriātīs comitiīs tulēre, ut, quod tribūtim plēbēs iūssisset, populum tenēret; quā lēge tribūniciīs rogātiōnibus tēlum ācerrimum datum est. aliam deinde cōnsulārem lēgem dē prōvocātiōne, ūnicum praesidium lībertātis, decemvirālī potestāte ēversam, nōn restituunt modo, sed etiam in posterum mūniunt sanciendō novam lēgem, nē quis ūllum magistrātum sine prōvocātiōne creāret; quī creāsset, eum iūs fāsque esset occīdī, nēve ea caedēs capitālis noxae habērētur. et cum plēbem hinc prōvocātiōne, hinc tribūnīciō auxiliō satis fīrmāssent, ipsīs quoque tribūnīs, ut sacrōsānctī vidērentur, cūius reī prope memoria abolēverat, relātīs quibusdam ex māgnō intervāllō caerimōniīs renovārunt, et cum rēligiōne inviolātōs eōs, tum lēge etiam fēcērunt, sanciendō, ut, quī tribūnīs plēbis, aedīlibus, iūdicibus, decemvirīs nocuisset, ēius caput Iovī sacrum esset, familia ad aedem Cereris Līberī Līberaeque vēnum īret. hāc lēge iūris interpretēs negant quemquam sacrōsānctum esse; itaque aedīlem prendī dūcīque ā māiōribus magistrātibus, quod etsī nōn iūre fīat (nocērī enim eī, cuī hāc lēge nōn liceat), tamen argūmentum esse, nōn haberī prō sacrōsānctō aedīlem; tribūnōs vetere iūre iūrandō plēbis, cum prīmum eam potestātem creāvit, sacrōsānctōs esse. fuēre, quī interpretārentur, eādem hāc Horātiā lēge cōnsulibus quoque et praetōribus, quia eīsdem auspiciīs,

quibus cōnsulēs, creārentur, cautum esse: iūdicem enim cōnsulem appellārī. quae refellitur interpretātiō, quod eīs temporibus nōndum cōnsulem iūdicem, sed praetōrem appellārī mōs fuerat. hae cōnsulārēs lēgēs fuēre. . . . M. Duillius deinde tribūnus plēbis plēbem rogāvit plēbēsque scīvit, quī plēbem sine tribūnīs relīquisset, quīque magistrātum sine prōvocātiōne creāsset, tergō ac capite pūnīrētur.

42

Cum interim Gallus quīdam nūdus, praeter scūtum et gladiōs duōs, torque atque armillīs decorātus prōcēssit, quī et vīribus et māgnitūdine et adulēscentiā simulque virtūte cēterīs antistābat. is māximō proeliō commōtō atque utrīsque summō studiō pūgnantibus, manū sīgnificāre coepit, utrimque quiēscerent pūgnā. facta pausa est. extemplō silentiō factō, cum vōce māximā conclāmat, sī quis sēcum dēpūgnāre vellet, ut prōdīret, nēmō audēbat propter māgnitūdinem atque immānitātem faciēī. deinde Gallus irrīdēre atque linguam exsertāre. id subitō perdolitum est T. Mānliō, summō genere nātō, tantum flāgitium cīvitātī accidere, ex tantō exercitū nēminem prōdīre. is, ut dīcō, prōcēssit, neque passus est virtūtem Rōmānam ab Gallō turpiter spoliārī. scūtō pedestrī et gladiō Hispānicō cīnctus contrā Gallum cōnstitit. metū māgnō ea congressiō in ipsō ponte, utrōque exercitū īnspectante, facta est ita, ut ante dīxī, cōnstitērunt, Gallus suā dīsciplīnā scūtō prōiectō cantābundus, Mānlius animō magis quam arte cōnfīsus, scūtum scūtō percussit, atque statum Gallī conturbāvit. dum sē Gallus iterum eōdem pāctō cōnstituere studet, Mānlius iterum scūtum scūtō percutit, atque dē locō hominem iterum dēiēcit; eō

pāctō eī sub Gallicum gladium succēssit, atque Hispānicō pectus hausit: dein continuō umerum dexterum eōdem congressū incīdit, neque recēssit ūsquam dōnec subvertit, nē Gallus impetum ictūs habēret. ubi eum ēvertit caput praecīdit, torquem dētrāxit, eamque sanguinolentam sibi in collum impōnit, quō ex factō ipse posterīque ēius Torquātī sunt cōgnōminātī.

43

Hāctenus populō Rōmānō bellum cum singulīs gentium, mox acervātim tamen sīc quoque pār omnibus fuit. Ētrūscōrum duodecim populī, Umbrī in id tempus intāctī, antīquissimus Ītaliae populus, Samnītium reliquī in excidium Rōmānī nōminis repente coniūrant. erat terror ingēns, tot simul tantōrumque populōrum. lātē per Ētrūriam īnfēsta quattuor sīgna volitābant. Ciminius interim saltus in mediō, ante invius, plānē quasi Calidōnius vel Hercynius, adeō tunc terrōrī erat, ut senātus cōnsulī dēnūntiāret, nē tantum perīculī ingredī audēret. sed nihil hōrum terruit ducem quīn frātre praemīssō explōrat accēssūs. ille per noctem pastōriō habitū speculātus omnia refert tūtum iter. sīc Fabius Māximus perīculōsissimum bellum sine perīculō explicāvit. nam subitō inconditōs atque pālantēs aggressus est, captīsque superiōribus iugīs, in subiectōs suō iūre dētonuit. ea namque speciēs fuit illīus bellī, quasi in terrigenās ē caelō ac nūbibus tēla mītterentur. nec incruenta tamen illa victōria: nam oppressus in sinū vallis alter cōnsulum, Decius, mōre patriō dēvōtum deīs mānibus obtulit caput: solemnemque familiae suae cōnsecrātiōnem in victōriae pretium redēgit.

44

Sequitur bellum Tarentīnum, ūnum quidem titulō et nōmine, sed victōriā multiplex. hōc enim Campānōs, Āpulōs, atque Lūcānōs, et, caput bellī, Tarentīnōs, id est, tōtam Ītaliam, et cum istīs omnibus Pyrrhum, clārissimum Graeciae rēgem, ūnā velutī ruīnā pariter involvit: ut eōdem tempore et Ītaliam cōnsummāret, et trānsmarīnōs triumphōs auspicārētur. Tarentus, Lacedaemoniōrum opus, Calabriae quondam, et Āpuliae, tōtīusque Lūcāniae caput, cum māgnitūdine et mūrīs portūque nōbilis, tum mīrābilis sitū. quippe in ipsīs Adriāticī maris faucibus posita, in omnēs terrās, Istriam, Illyricum, Epīrum, Achāiam, Āfricam, Siciliam, vēla dīmīttit. imminet portuī ad prōspectum maris positum māius theātrum: quod quidem causae miserae cīvitātī fuit omnium calamitātum. lūdōs forte celebrant, cum adrēmigantem lītorī Rōmānam classem inde vident: atque hostem ratī, ēmicant, sine discrīmine īnsultant: 'Quī enim, aut unde Rōmānī?' nec satis. aderat sine morā querēlam ferēns lēgātiō: hanc quoque foedē per obscoenam turpemque dictū contumēliam violant. hinc bellum: sed apparātus horribilis, cum tot simul populī prō Tarentīnīs cōnsurgerent, omnibusque vehementior Pyrrhus: quī sēmigraecam ex Lacedaemoniīs conditōribus cīvitātem vindicātūrus, cum tōtīus vīribus Epīrī, Thessaliae, Macedoniae, incōgnitīsque in id tempus elephantīs, marī, terrā, virīs, equīs, armīs, additō īnsuper ferārum terrōre, veniēbat. apud Hēraclēam, et Campāniae fluvium Līrim, Laevīnō cōnsule, prīma pūgna: quae tam atrōx fuit, ut Frentānae turmae praefectus Obsidius, invectus in rēgem, turbāverit, coēgeritque, prōiectīs īnsīgnibus, proeliō excēdere

āctum erat, nisi elephantī conversī in spectāculum bellī prōcurrissent: quōrum cum māgnitūdine, tum dēfōrmitāte, et novō odōre simul ac strīdōre cōnsternātī equī, cum incōgnitās sibi belluās amplius quam erant, sūspicārentur, fugam strāgemque lātē dedērunt. in Āpuliā deinde apud Asculum melius dīmicātum est, Curiō Fabriciōque cōnsulibus: iam quippe belluārum terror exolēverat, et Cāius Minucius quārtae legiōnis hastātus, ūnīus proboscide abscissā, morī posse belluās ostenderat. itaque et in ipsās pīla congesta sunt, et in turrēs vibrātae facēs tōta hostium āgmina ārdentibus ruīnīs operuēre: nec ante clādī fīnis fuit, quam nox dirimeret: postrēmusque fugientium ipse rēx ā satellitibus umerō saucius in armīs suīs referrētur. Lūcāniae suprēma pūgna sub Arusinīs, quōs vocant, campīs, ducibus eīsdem quī superius: sed tunc ad tōtam victōriam exitum, quem datūra virtūs fuit, cāsus dedit. nam prōductīs in prīmam aciem rūrsus elephantīs, ūnum ex hīs pullum adāctī in caput tēlī gravis ictus āvertit: quī cum per strāgem suōrum percurrēns strīdōre quererētur, māter āgnōvit et quasi vindicāret, exsiluit: tum omnia circā quasi hostilia gravī timōre permīscuit. ac sīc eaedem ferae, quae prīmam victōriam abstulerant, secundam parem fēcerant, tertiam sine contrōversiā trādidēre. nec vērō tantum armīs, et in campīs, sed cōnsiliīs quoque et domī intrā Urbem cum rēge Pyrrhō dīmicātum est. quippe post prīmam victōriam rēx callidus, intellēctā virtūte Rōmānā, statim dēspērāvit armīs: sēque ad dolōs contulit. nam interemptōs cremāvit: captīvōsque indulgenter habuit, et sine pretiō restituit. mīssīsque deinde lēgātīs in Urbem omnī modō annīsus est, ut factō foedere in amīcitiam reciperētur. sed bellō et pāce, foris et domī, omnem in partem Rōmāna virtūs

tum sē approbāvit: nec alia magis, quam Tarentīna victōria, ostendit populī Rōmānī fortitūdinem, senātūs sapientiam, ducum māgnitātem. quīnam illī fuērunt virī, quōs ab elephantīs prīmō proeliō obtrītōs accēpimus? omnium volnera in pectore: quīdam hostibus suīs immortuī, omnium in manibus ēnsēs, et relictae in voltibus minae, et in ipsā morte īra vīvēbat. quod adeō Pyrrhus mīrātus est, ut dīceret: 'Ō quam facile erat orbis imperium occupāre, aut mihi Rōmānīs mīlitibus, aut mē rēge Rōmānīs!' quae autem eōrum, quī superfuērunt, in reparandō exercitū fēstīnātiō? cum Pyrrhus, 'Videō mē,' inquit, 'plānē Herculis sīdere prōcreātum, cuī, quasi ab angue Lernaeō, tot caesa hostium capita dē sanguine suō renāscuntur'. quī autem ille senātus fuit? cum, perōrante Appiō Caecō, pulsī cum mūneribus suīs ab Urbe lēgātī, interrogantī rēgī suō, quid dē hostium sēde sentīrent: Urbem templum sibi vīsam, senātum rēgum cōnsessum esse cōnfitērentur. quī porrō ipsī ducēs, vel in castrīs? cum medicum vēnāle rēgis Pyrrhī caput offerentem Curius remīsit: Fabricius oblātam sibi ā rēge imperiī partem repudiāvit. vel in pāce? cum Curius fictilia sua Samnīticō praeferret aurō: Fabricius decem pondō argentī circā Rūfīnum cōnsulārem virum quasi luxuriam cēnsōriā gravitāte damnāret. quis ergō mīrētur hīs mōribus, virtūte mīlitum, victōrem populum Rōmānum fuisse? ūnōque bellō Tarentīnō intrā quadriennium māximam partem Ītaliae, fortissimās gentēs, opulentissimās urbēs, ūberrimās regiōnēs in diciōnem redēgisse? aut quid adeō fidem superet, quam sī prīncipia bellī cum exitū cōnferantur? victor prīmō proeliō Pyrrhus, tōtā tremente Ītaliā, Campāniam, Līrim, Fregellāsque populātus, prope captam Urbem ā Praenestīnā arce prōspexit: et ā vīcēsimō lapide

oculōs trepidae cīvitātis fūmō ac pulvere implēvit. eōdem posteā bis exūtō castrīs, bis sauciō, et in Graeciam suam trāns mare ac terrās fugātō, pāx et quiēs et tanta dē opulentissimīs tot gentibus spolia, ut victōriam suam Rōma nōn caperet. nec enim temerē ūllus pulchrior in Urbem, aut speciōsior triumphus intrāvit. ante hunc diem nihil nisi pecora Volscōrum, gregēs Sabīnōrum, carpenta Gallōrum, frācta Samnitum arma vīdissēs: tum sī captīvōs aspicerēs, Molossī, Thessalī, Macedones, Bruttius, Āpulus, atque Lūcānus: sī pompās, aurum, purpura, sīgna, tabulae, Tarentīnaeque dēliciae. sed nihil libentius populus Rōmānus aspexit, quam illās, quās timuerat, cum turribus suīs belluās: quae nōn sine sēnsū captīvitātis, submīssīs cervīcibus, victōrēs equōs sequēbantur.

45

Imperātor Poenus in terrā Siculā bellō Carthāginiēnsī prīmō obviam Rōmānō exercitū prōgreditur, collēs locōsque idōneōs prior occupat. mīlitēs Rōmānī, utī rēs nāta est, in locum īnsinuant fraudī et perniciēī obnoxium. tribūnus ad cōnsulem venit, ostendit exitium dē locī importūnitāte et hostium circumstantiā mātūrum. 'Cēnseō' inquit 'sī rem servāre vīs, faciendum ut quadringentōs aliquōs mīlitēs ad verrūcam illam (sīc enim Catō[1] locum ēditum asperumque appellat) īre iubeās eamque utī occupent, imperēs hortērisque; hostēs profectō ubi id vīderint, fortissimus quisque et promptissimus ad occursandum pūgnandumque in eōs praevertentur ūnōque illō negōtiō sēsē alligābunt, atque illī omnēs quadringentī procul dubiō obtruncābuntur. tunc in-

[1] This story is an extract quoted by a Roman writer from the *Origines* of the historian Cato.

intereā occupātīs in eā caede hostibus, tempus exercitūs ex hōc locō ēdūcendī habēbis. alia nisi haec salūtis via nūlla est.' cōnsul tribūnō respondit, cōnsultum istud quidem atque prōvidēns sibi vidērī, 'Sed istōs' inquit 'mīlitēs quadringentōs ad eum locum in hostium cuneōs quisnam erit qui dūcat?' 'Sī alium' inquit tribūnus 'nēminem reperiēs, mē licet ad hōc perīculum ūtāre; ego hanc tibi et reī pūblicae animam dō.' cōnsul tribūnō grātiās laudēsque agit. tribūnus et quadringentī ad moriendum proficīscuntur. hostēs eōrum audāciam dēmīrantur, quōrsum īre pergant, in exspectandō sunt. sed ubi appāruit ad eam verrūcam occupandam iter intendere, mīttit adversum illōs imperātor Carthāginiēnsis peditātum equitātumque, quōs in exercitū virōs habuit strēnuissimōs. Rōmānī mīlitēs circumveniuntur, circumventī repūgnant. fit proelium diū anceps. tandem superat multitūdō. quadringentī omnēs cum ūnō, perfossī gladiīs aut mīssilibus opertī, cadunt. cōnsul intereā, dum ea pūgna pūgnātur, sē in locōs tūtōs atque ēditōs subdūcit.

Sed dī immortālēs tribūnō mīlitum fortūnam ex virtūte ēius dedēre. nam ita ēvēnit: cum saucius multifāriam factus esset, tamen volnus capitī nūllum ēvēnit, eumque inter mortuōs dēfetīgātum volneribus atque quod sanguis dēfluxerat, cōgnōvēre. eum sustulēre, isque convaluit saepeque postillā operam reī pūblicae fortem atque strēnuam perhibuit. Leōnidās Lacō quidem simile apud Thermopylās fēcit, propter ēius virtūtēs omnis Graecia glōriam atque grātiam praecipuam clāritūdinis inclitissimae decorāvēre monumentīs, sīgnīs, statuīs, ēlogiīs, historiīs aliīsque rēbus; grātissimum id ēius factum habuēre. at tribūnō mīlitum parva laus prō factīs relicta, quī idem fēcerat atque rem servāverat.

46

Fertur pudīcae coniugis ōsculum
parvōsque nātōs ut capitis minor
ab sē remōvisse, et virīlem
torvus humī posuisse voltum;

dōnec labantēs cōnsiliō patrēs
fīrmāret auctor nunquam aliās datō,
interque maerentēs amīcōs
ēgregius properāret exul.

atquī sciēbat quae sibi barbarus
tortor parāret; nōn aliter tamen
dīmōvit obstantēs propinquōs
et populum reditūs morantem,

quam sī clientum longa negōtia
dīiūdicātā līte relinqueret,
tendēns Venāfrānōs in agrōs
aut Lacedaemonium Tarentum.

47

Post haec mala Carthāginiēnsēs Rēgulum ducem, quem cēperant, petīvērunt, ut Rōmam proficīscerētur et pācem ā Rōmānīs obtinēret ac permūtātiōnem captīvōrum faceret. ille Rōmam cum vēnisset, inductus in senātum nihil quasi Rōmānus ēgit dīxitque sē ex illā diē quā in potestātem Āfrōrum vēnisset, Rōmānum esse dēsiisse. itaque et uxōrem ā complexū remōvit et senātuī suāsit nē pāx cum Poenīs fieret; illōs enim frāctōs tot cāsibus spem nūllam habēre; sē tantī nōn esse, ut tot mīlia captīvōrum propter ūnum et senem et paucōs, quī ex Rōmānīs captī fuerant, redderentur. itaque obtinuit. nam

Āfrōs pācem petentēs nūllus admīsit. ipse Carthāginem rediit, offerentibusque Rōmānīs, ut eum Rōmae tenērent, negāvit sē in eā urbe mānsūrum, in quā, postquam Āfrīs servierat, dīgnitātem honestī cīvis habēre nōn posset. regressus igitur ad Āfricam omnibus suppliciīs exstīnctus est.

48

Hannibal, Hamilcaris fīlius, Carthāginiēnsis. sī vērum est, quod nēmō dubitat, ut populus Rōmānus omnēs gentēs virtūte superārit, nōn est īnfitiandum Hannibalem tantō praestitisse cēterōs imperātōrēs prūdentiā, quantō populus Rōmānus antecēdat fortitūdine cūnctās nātiōnēs. nam quotiēnscumque cum eō congressus est in Ītaliā, semper discēssit superior. quod nisi domī cīvium suōrum invidiā dēbilitātus esset, Rōmānōs vidētur superāre potuisse. sed multōrum obtrectātiō dēvīcit ūnīus virtūtem.

Hīc autem velut hērēditāte relictum odium paternum ergā Rōmānōs sīc cōnservāvit, ut prius animam quam id dēposuerit, quī quidem, cum patriā pulsus esset et aliēnārum opum indigēret, nunquam dēstiterit animō bellāre cum Rōmānīs. nam ut ōmīttam Philippum, quem absēns hostem reddidit Rōmānīs, omnium eīs temporibus potentissimus rēx Antiochus fuit. hunc tantā cupiditāte incendit bellandī, ut ūsque ā Rubrō marī arma cōnātus sit īnferre Ītaliae. ad quem cum lēgātī vēnissent Rōmānī, quī dē ēius voluntāte explōrārent darentque operam cōnsiliīs clandestīnīs ut Hannibalem in sūspiciōnem rēgī addūcerent, tamquam ab ipsīs corruptum alia atque anteā sentīre, neque id frūstrā fēcissent idque Hannibal comperisset sēque ab interiōribus cōnsiliīs sēgregārī vīdisset, tempore datō adiit ad rēgem,

eīque cum multa dē fidē suā et odiō in Rōmānōs commemorāsset, hōc adiūnxit: 'Pater meus' inquit 'Hamilcar puerulō mē, utpote nōn amplius VIII annōs nātō, in Hispāniam imperātor proficīscēns Carthāgine Iovī optimō māximō hostiās immolāvit. quae dīvīna rēs dum cōnficiēbātur, quaesīvit ā mē vellemne sēcum in castra proficīscī. id cum libenter accēpissem atque ab eō petere coepissem nē dubitāret dūcere, tum ille, 'Faciam,' inquit, 'si mihi fidem quam postulō dederis'. simul mē ad āram addūxit, apud quam sacrificāre īnstituerat, eamque cēterīs remōtīs tenentem iūrāre iūssit nunquam mē in amīcitiā cum Rōmānīs fore. id ego iūs-iūrandum patrī datum ūsque ad hanc aetātem ita cōnservāvī, ut nēminī dubium esse dēbeat, quīn reliquō tempore eādem mente sim futūrus. quārē sī quid amīcē dē Rōmānīs cōgitābis, nōn imprūdenter fēceris, sī mē cēlāris; cum quidem bellum parābis, tē ipsum frūstrāberis, sī nōn mē in eō prīncipem posueris.'

Hāc igitur quā dīximus aetāte cum patre in Hispāniam profectus est, cūius post obitum, Hasdrubale imperātōre suffectō, equitātuī omnī praefuit. hōc quoque interfectō exercitus summam imperiī ad eum dētulit. id Carthāginem dēlātum pūblicē comprobātum est. sīc Hannibal minor v et xx annīs nātus imperātor factus proximō trienniō omnēs gentēs Hispāniae bellō subēgit, Saguntum, foederātam cīvitātem, vī expūgnāvit, trēs exercitūs māximōs comparāvit. ex hīs ūnum in Āfricam mīsit, alterum cum Hasdrubale frātre in Hispāniā relīquit, tertium in Ītaliam sēcum dūxit. saltum Pyrēnaeum trānsiit. quācumque iter fēcit, cum omnibus incolīs cōnflīxit: nēminem nisi victum dīmīsit. ad Alpēs posteāquam vēnit, quae Ītaliam ab Galliā sēiungunt, quās nēmō

unquam cum exercitū ante eum praeter Herculem Grāium trānsierat (quō factō is hodiē saltus Grāius appellātur), Alpicōs cōnantēs prohibēre trānsitū concīdit, loca patefēcit, itinera mūniit, effēcit ut eā elephantus ornatus īre posset, quā anteā ūnus homō inermis vix poterat rēpere. hāc cōpiās trādūxit in Ītaliamque pervēnit.

49

In cīvitāte tantō discrīmine bellī sollicitā, cum omnium secundōrum adversōrumque causās in deōs verterent, multa prōdigia nūntiābantur: Tarracīnae Iovis aedem, Satricī Mātris Mātūtae dē caelō tāctam; Satricānōs haud minus terrēbant in aedem Iovis foribus ipsīs duo perlāpsī anguēs; ab Antiō nūntiātum est cruentās spīcās metentibus vīsās esse; Caere porcus biceps nātus erat; et Albae duo sōlēs vīsōs ferēbant et nocte Fregellīs lūcem obōrtam. et bōs in agrō Rōmānō locūtus, et āra Neptūnī multō mānāsse sūdōre in circō Flāminiō dīcēbantur, et aedēs Cereris, Salūtis, Quirīnī dē caelō tāctae. prōdigia cōnsulēs hostiīs māiōribus prōcūrāre iūssī et supplicātiōnem ūnum diem habēre. ea ex senātūs cōnsultō facta. plūs omnibus aut nūntiātīs peregrē aut vīsīs domī prōdigiīs terruit animōs hominum īgnis in aede Vestae exstīnctus, caesaque flagrō est Vestalis, cūius cūstōdia ēius noctis fuerat, iūssū P. Licinī pontificis. id quamquam nihil portendentibus deīs cēterum neglegentiā hūmānā acciderat, tamen et hostiīs māiōribus prōcūrārī et supplicātiōnem ad Vestae habērī placuit.

Priusquam proficīscerentur cōnsulēs ad bellum, monitī ā senātū sunt, ut in agrōs redūcendae plēbis cūram habērent: deum benīgnitāte summōtum bellum

ab urbe Rōmānā et Latiō esse, et posse sine metū in agrīs habitārī, minimē convenīre Siciliae quam Ītaliae colendae māiōrem cūram esse. sed rēs haudquāquam erat populō facilis, et līberīs cultōribus bellō absūmptīs et inopiā servitiōrum et pecore dīreptō vīllīsque dīrutīs aut incēnsīs. māgna tamen pars auctōritāte cōnsulum compulsa in agrōs remigrāvit. mōverant autem hūiusce reī mentiōnem Placentīnōrum et Cremōnēnsium lēgātī, querentēs agrum suum ab accolīs Gallīs incursārī ac vastārī, māgnamque partem colōnōrum suōrum dīlāpsam esse, et iam īnfrequentēs sē urbēs, agrum vastum ac dēsertum habēre. Maniliō praetōrī mandātum, ut colōniās ab hoste tuērētur; cōnsulēs ex senātūs cōnsultō ēdīxērunt, ut quī cīvēs Cremōnēnsēs atque Placentīnī essent, ante certam diem in colōniās reverterentur. prīncipiō deinde vērīs et ipsī ad bellum profectī sunt.

50

A.V.C. 549

[A stone, known as "the mother of the gods", is brought from Asia Minor to Rome, in the hope that Hannibal would, on account of its miraculous power, be driven from Italy.]

Cīvitātem eō tempore repēns rēligiō invāserat inventō carmine in librīs Sibyllīnīs propter crēbrius eō annō dē caelō lapidātum īnspectīs, quandoque hostis aliēnigena terrae Ītaliae bellum intulisset, eum pellī Ītaliā vincīque posse, sī mater Īdaea ā Pessinunte Rōmam advecta foret. id carmen ab decemvirīs inventum eō magis patrēs mōvit, quod et lēgātī, quī dōnum Delphōs portāverant, referēbant et sacrificantibus ipsīs Pythiō Apollinī laeta exta fuisse et

respōnsum ōrāculō ēditum, māiōrem multō victōriam, quam cūius ex spoliīs dōna portārent, adesse populō Rōmānō. nūllās in Asiā sociās cīvitātēs habēbat populus Rōmānus; tamen memorēs Aesculāpium quoque ex Graeciā quondam hauddum ūllō foedere sociātā valētūdinis populī causā arcessītum, tunc iam cum Attalō rēge propter commūne adversus Philippum bellum coeptam amīcitiam esse. factūrum eum, quae posset, populī Rōmānī causā, lēgātōs ad eum dēcernunt, M. Valerium Laevīnum, quī bis cōnsul fuerat ac rēs in Graeciā gesserat, M. Caecilium Metellum praetōrium, Ser. Sulpicium Galbam aedīlīcium, duōs quaestōriōs, Cn. Tremellium Flaccum et M. Valerium Faltōnem. eīs quīnque nāvēs quīnquerēmēs, ut ex dīgnitāte populī Rōmānī adīrent eās terrās, dēcernunt. lēgātī Asiam petentēs prōtinus Delphōs cum ēscendissent, ōrāculum adiērunt cōnsulentēs, ad quod negōtium mīssī essent, perficiendī ēius quam sibi spem populōque Rōmānō portenderet. respōnsum esse ferunt per Attalum rēgem compotēs ēius fore, quod peterent; cum Rōmam deam dēvexissent, tum cūrārent, ut eam, quī vir optimus Rōmae esset, hospitiō acciperet. Pergamum ad rēgem vēnērunt. is lēgātōs cōmiter acceptōs Pessinuntem in Phrygiam dēdūxit sacrumque eīs lapidem, quam mātrem deum esse incolae dīcēbant, trādidit ac dēportāre Rōmam iūssit. praemīssus ab lēgātīs M. Valerius Faltō nūntiāvit deam adportārī; quaerendum virum optimum in cīvitāte esse, quī eam rīte hospitiō acciperet.

51

Sīc cōnservātīs suīs rēbus Poenus illūsīs Crētēnsibus omnibus ad Prūsiam in Pontum pervēnit. apud

quem eōdem animō fuit ergā Ītaliam neque aliud quicquam ēgit quam rēgem armāvit et exercuit adversus Rōmānōs. quem cum vidēret domesticīs opibus minus esse rōbustum, conciliābat cēterōs rēgēs, adiungēbat bellicōsās nātiōnēs. dissidēbat ab eō Pergamēnus rēx Eumenēs, Rōmānīs amīcissimus, bellumque inter eōs gerēbātur et marī et terrā: quō magis cupiēbat eum Hannibal opprimī. sed utrobīque Eumenēs plus valēbat propter Rōmānōrum societātem: quem sī remōvisset, faciliōra sibi cētera fore arbitrābātur. ad hunc interficiundum tālem iniit ratiōnem. clāsse paucīs diēbus erant dēcrētūrī. superābātur nāvium multitūdine: dolō erat pūgnandum, cum pār nōn esset armīs. imperāvit quam plūrimās venēnātās serpentēs vīvās colligī eāsque in vāsa fictilia conicī. hārum cum effēcisset māgnam multitūdinem, diē ipsō, quō factūrus erat nāvāle proelium, clāssiāriōs convocat eīsque praecipit, omnēs ut in ūnam Eumenis rēgis concurrant nāvem, ā cēterīs tantum satis habeant sē dēfendere. id illōs facile serpentium multitūdine cōnsecūtūrōs. rēx autem in quā nāve veherētur, ut scīrent, sē factūrum: quem sī aut cēpissent aut interfēcissent, māgnō eīs pollicētur praemiō fore. tālī cohortātiōne mīlitum factā clāssis ab utrīsque in proelium dēdūcitur. quārum aciē cōnstitūtā, priusquam sīgnum pūgnae darētur, Hannibal ut palam faceret suīs, quō locō Eumenēs esset, tabellārium in scaphā cum cādūceō mīttit. quī ubi ad nāvēs adversāriōrum pervēnit epistulamque ostendēns sē rēgem professus est quaerere, statim ad Eumenem dēductus est, quod nēmō dubitābat quīn aliquid dē pāce esset scrīptum. tabellārius ducis nāve dēclārātā suīs eōdem, unde erat ēgressus, sē recēpit. at Eumenēs solūtā epistulā nihil in eā repperit nisi quae ad irrīdendum eum

pertinērent. cūius etsī causam mīrābātur, neque reperiēbat, tamen proelium statim commīttere nōn dubitāvit. hōrum in concursū Bȳthīniī Hannibalis praeceptō ūniversī nāvem Eumenis adoriuntur. quōrum vim rēx cum sustinēre nōn posset, fugā salūtem petit, quam cōnsecūtus nōn esset, nisi inter sua praesidia sē recēpisset, quae in proximō lītore erant collocāta. reliquae Pergamēnae nāvēs cum adversāriōs premerent ācrius, repente in eās vāsa fictilia, dē quibus suprā mentiōnem fēcimus, conicī coepta sunt. quae iacta initiō rīsum pūgnantibus concitārunt, neque quārē id fieret poterat intellegī. postquam autem nāvēs suās opplētās cōnspexērunt serpentibus, novā rē perterritī, cum, quid potissimum vītārent, nōn vidērent, puppēs vertērunt sēque ad sua castra nautica rettulērunt. sīc Hannibal cōnsiliō arma Pergamēnōrum superāvit, neque tum sōlum, sed saepe aliās pedestribus cōpiīs parī prūdentiā pepulit adversāriōs.

52

Bellō Pūnicō secundō C. Flāminius cōnsul neglēxit sīgna rērum futūrārum māgnā cum clāde reī pūblicae. quī exercitū lūstrātō cum Arrētium versus castra mōvisset et contrā Hannibalem legiōnēs dūceret, et ipse et equus ēius ante sīgnum Iovis Statōris sine causā repente concidit, nec eam rem habuit rēligiōnī, obiectō sīgnō, ut perītīs vidēbātur, nē commītteret proelium. īdem cum tripudiō auspicārētur, pullārius diem proeliī commīttendī differēbat. tum Flāminius ex eō quaesīvit, sī nē posteā quidem pullī pāscerentur, quid faciendum cēnsēret. cum ille quiēscendum respondisset, Flāminius 'Praeclāra vērō auspicia' inquit 'sī ēsurientibus pullīs rēs gerī poterit, saturīs nihil gerētur'. itaque sīgna convellī

et sē sequī iūssit. quō tempore cum sīgnifer prīmī hastātī sīgnum nōn posset movēre locō, nec quicquam proficerētur, plūrēs cum accēderent, Flāminius rē nūntiātā suō mōre neglēxit. itaque tribus eīs hōrīs concīsus exercitus atque ipse interfectus est.

53

Scīpiō Āfricānus antīquior quantā virtūtum glōriā praestiterit, quam fuerit altus animō atque māgnificus et quā suī cōnscientiā nīxus, plūribus rēbus quae dīxerit quaeque fēcerit dēclārātum est. ex quibus sunt haec duo exempla ēius fīdūciae atque exsuperantiae ingentis. cum M. Naevius tribūnus plēbī accūsāret eum ad populum, dīceretque ā rēge Antiochō accēpisse pecūniam, ut condiciōnibus grātiōsīs ac mollibus pāx cum eō populī Rōmānī nōmine fieret, et quaedam item alia crīminī daret indīgna tālī virō, tum Scīpiō, pauca praefātus, quae dīgnitās vītae suae atque glōria postulābat, 'Memoriā,' inquit, 'Quirītēs, repetō diem esse hodiernum quō Hannibalem Poenum, imperiō nostrō inimīcissimum, māgnō proeliō vīcī in terrā Āfricā: pācemque et victōriam vōbīs peperī īnspērābilem. nōn igitur sīmus adversum deōs ingrātī: sed cēnseō relinquāmus nebulōnem hunc; eāmus nunc prōtinus Iovī optimō māximō grātulātum.' id cum dīxisset, āvertit, et īre in Capitōlium coepit. tum cōntiō ūniversa, quae ad sententiam dē Scīpiōne ferendam convēnerat, relictō tribūnō, Scīpiōnem in Capitōlium comitāta, atque inde ad aedēs ēius cum laetitiā et grātulātiōne solemnī prōsecūta est.

Item aliud est factum ēius praeclārum. Poetiliī quīdam, tribūnī plēbī, ā Mārcō, ut aiunt, Catōne, inimīcō Scīpiōnis, comparātī in eum atque immīssī,

dēsīderābant in senātū īnstantissimē ut pecūniae Antiochēnae, praedaeque quae in eō bellō capta erat, ratiōnem redderet. fuerat enim L. Scīpiōnī Asiāticō, frātrī suō imperātōrī in eā prōvinciā, lēgātus. ibi Scīpiō exsurgit, et prōlātō ē sinū togae librō rati-ōnēs in eō esse scrīptōs esse dīxit omnis pecūniae omnisque praedae. illī tum ut palam recitārētur et ad aerārium dēferrētur. 'Sed enim id iam nōn faciam,' inquit, 'nec mē ipsum afficiam contumēliā.' eumque librum statim cōram discīdit suīs manibus et concerpsit: aegrē passus quod, cuī salūs imperiī ac reīpūblicae accepta ferrī dēbēret, ratiōnem pecū-niae praedātīciae pōscerētur.

54

Numantia, quantum Carthāginis, Capuae, Corinthī opibus īnferior, ita virtūtis nōmine et honōre pār omnibus, summumque, sī virōs aestimēs, Hispāniae decus: quippe sine mūrō, sine turribus, modicē ēditō in tumulō apud flūmen Durium sita, quattuor mīli-bus Celtiberōrum quadrāgintā milium exercitum per annōs quattuordecim sōla sustinuit: nec sustinuit modo, sed saevius aliquantō perculit, pudendīsque foederibus affēcit. novissimē cum invictam esse cōnstāret, opus quoque eō fuit, quī Carthāginem ēverterat. duce Scīpiōne, Carthāginis incendiīs ad excidia urbium imbūtō, in ultiōnem excanduit popu-lus Rōmānus. sed tunc ācrius in castrīs, quam in campō, nostrō cum mīlite, quam cum Numantīnō proeliandum fuit. quippe assiduīs et iniūstīs et servīlibus māximē operibus attrītī, ferre plēnius vāllum, quī arma nēscīrent; lutō inquīnārī (dum vāllum mūnīrent), quī sanguine nōllent, iubēbantur. tantī esse exercitum, quantī imperātōrem, vērē

prōditum est. sīc redāctō in dīsciplīnam mīlite, commīssa aciēs: quodque nēmō vīsūrum sē unquam spērāverat, factum est, ut fugientēs Numantīnōs quisquam vidēret. dēdere sēsē volēbant, sī toleranda virīs imperārentur. sed cum Scīpiō vēram vellet et sine exceptiōne victōriam, eō necessitātum compulsī, prīmum, ut dēstinātā morte in proelium ruerent, cum sēsē prius epulīs, quasi īnferiīs, implēvissent, carnis sēmicrūdae, et cēliae: (sīc vocant indigenam ex frūmentō pōtiōnem). intellēctum ab imperātōre cōnsilium: itaque nōn est permīssa pūgna moritūrīs. cum fossā atque lōrīcā, quattuorque castrīs circumdatōs famēs premeret, ab duce ōrantēs proelium, ut tanquam virōs occīderet, ubi nōn impetrābant, placuit ēruptiō. sīc cōnsertā manū plūrimī occīsī: et cum urgēret famēs aliquantisper inde vīxēre. novissimē cōnsilium fugae sēdit: sed hōc quoque, ruptīs equōrum cingulīs, uxōrēs adēmēre, summō scelere, per amōrem. itaque dēplōrātō exitū, in ultimam rabiem furōremque conversī, postrēmō morī hōc genere dēstinārunt. ducēs suōs, sēque, patriamque, ferrō et venēnō, subiectōque undique īgne perēmērunt. macte fortissimam, et, meō iudiciō, beātissimam in ipsīs malīs cīvitātem! asseruit cum fidē sociōs, populum orbis terrārum vīribus fultum suā manū, aetāte tam longā sustinuit. novissimē māximō duce oppressa cīvitās nūllum dē sē gaudium hostī relīquit. ūnus enim vir Numantīnus nōn fuit, quī in catēnīs dūcerētur. praeda, ut dē pauperibus, nūlla: arma ipsī cremāverant. triumphus fuit tantum de nōmine.

55

Roman Political Morality and the War with Jugurtha (b.c. 149–106)

Cēterum ex aliīs negōtiīs, quae ingeniō exercentur, in prīmīs māgnō ūsuī est memoria rērum gestārum; nam saepe ego audīvī Q. Māximum, P. Scīpiōnem, praetereā cīvitātis nostrae praeclārōs virōs solitōs ita dīcere: cum māiōrum imāginēs intuērentur, vehementissimē sibi animum ad virtūtem accendī. scīlicet nōn cēram illam neque figūram tantam vim in sēsē habēre, sed memoriā rērum gestārum eam flammam ēgregiīs virīs in pectore crēscere neque prius sēdārī quam virtūs eōrum fāmam atque glōriam adaequāverit. at contrā quis est omnium hīs mōribus, quīn dīvitiīs et sūmptibus, nōn probitāte neque industriā cum māiōribus suīs contendat? etiam hominēs novī, quī anteā per virtūtem solitī erant nōbilitātem antevenīre, furtim et per latrōcinia potius quam bonīs artibus ad imperia et honōrēs nītuntur: proinde quasi praetūra et cōnsulātus atque alia omnia hūiusce modī per sē ipsa clāra et māgnifica sint, ac nōn perinde habeantur ut eōrum, quī ea sustinent, virtūs est.

Bellum scrīptūrus sum, quod populus Rōmānus cum Iugurthā rēge Numidārum gessit, prīmum quia māgnum et atrōx variāque victōriā fuit, dehinc quia tunc prīmum superbiae nōbilitātis obviam itum est, quae contentiō dīvīna et hūmāna cūncta permīscuit eōque vēcordiae prōcēssit, ut studiīs cīvīlibus bellum atque vastitās Ītaliae fīnem faceret.

Masinissa, rēx Numidārum, Iugurtham, fīlium Mastanabalis frātris, eōdem cultū, quō līberōs suōs, domī habuit. quī ubi prīmum adolēvit, pollēns vīribus, decōrā faciē, sed multō māximē ingeniō validus,

nōn sē luxū neque inertiae corrumpendum dedit, sed, utī mōs gentis illīus est, equitāre, iaculārī, cursū cum aequālibus certāre, et cum omnēs glōriā anteīret, omnibus tamen cārus esse: ad hōc plēraque tempora in vēnandō agere, leōnem aliās ferās prīmus aut in prīmīs ferīre: plūrimumque facere, minimum ipse dē sē loquī. quibus rēbus Micipsa tametsī initiō laetus fuerat, exīstimāns virtūtem Iugurthae rēgnō suō glōriae fore, tamen postquam hominem adulēscentem, exāctā suā aetāte et parvīs līberīs, magis magisque crēscere intellegit, vehementer eō negōtiō permōtus multa cum animō suō volvēbat. terrēbat eum natūra mortalium avida imperiī et praeceps ad explendam animī cupīdinem, praetereā opportūnitās suae līberōrumque aetātis, quae etiam mediocrēs virōs spē praedae trānsversōs agit, ad hōc studia Numidārum in Iugurtham accēnsa, ex quibus sī tālem virum dolīs interfēcisset, nē qua sēditiō aut bellum orīretur ānxius erat. igitur bellō Numantīnō Micipsa cum populō Rōmānō equitum atque peditum auxilia mītteret, spērāns vel ostentandō virtūtem vel hostium saevitiā facile occāsūrum, praefēcit Numidīs, quōs in Hispāniam mīttēbat. sed ea rēs longē aliter ac ratus erat ēvēnit.

Eā tempestāte in exercitū nostrō fuēre complūrēs novī atque nōbilēs, quibus dīvitiae bonō honestōque potiōres erant, factiōsī domī, potentēs apud sociōs. clārī magis quam honestī, quī Iugurthae nōn mediocrem animum pollicitandō accendēbant, sī Micipsa rēx occidisset, fore utī sōlus imperiī Numidiae potīrētur: in ipsō māximam virtūtem, Rōmae omnia vēnālia esse. sed postquam Numantiā dēlētā P. Scīpiō dōnātum atque laudātum māgnificē prō cōntiōne Iugurtham in praetōrium abdūxit ibīque sēcrētō monuit, utī potius pūblicē quam prīvatim amīcitiam

populī Rōmānī coleret. sīc locūtus cum lītterīs eum dīmīsit. eārum sententia haec erat: 'Habēs virum dīgnum tē atque avō suō'. Micipsa paucīs post annīs moritur.

56

Hiempsal reperītur occultāns sēsē in tuguriō. Numidae caput ēius, utī iūssī erant, ad Iugurtham referunt. Adherbalem omnēsque, quī sub imperiō Micipsae fuerant, metus invādit. tametsī Rōmam lēgātōs mīserat, quī senātum docērent dē caede frātris et fortūnīs suīs, tamen frētus multitūdine mīlitum parābat armīs contendere. victus ex proeliō profūgit in prōvinciam ac deinde Rōmam contendit. tum Iugurtha patrātīs cōnsiliīs, postquam omnī Numidiā potiēbatur, in ōtiō facinus suum cum animō reputāns timēre populum Rōmānum neque adversus īram ēius ūsquam nisi in avāritiā nōbilitātis et pecūniā suā spem habēre. itaque paucīs diēbus cum aurō et argentō multō lēgātōs Rōmam mīttit, quīs praecipit, prīmum utī veterēs amicōs mūneribus expleant, deinde novōs acquīrant, postrēmō quaecumque possint largiendō parāre nē cūnctentur. igitur ubī lēgātī satis cōnfīdunt, diē cōnstitūtō senātus utrīsque datur. postquam rēx Adherbal fīnem loquendī fēcit, lēgātī Iugurthae, largītiōne magis quam causā frētī, paucīs respondent: Hiempsalem ob saevitiam suam ab Numidīs interfectum: Adherbalem ultrō bellum īnferentem, postquam superātus sit, querī quod iniūriam facere nequīvisset: Iugurtham ab senatū petere, nē sē alium putārent ac Numantiae cōgnitus esset, neu verba inimīcī ante facta sua pōnerent. vīcit in senātū pars illa, quae vero pretium aut grātiam anteferēbat. dēcrētum fit, utī

decem lēgātī rēgnum, quod Micipsa obtinuerat, inter Iugurtham et Adherbalem dīviderent.

Postquam dīvīsō rēgnō lēgātī Āfricā dēcēssēre et Iugurtha contrā timōrem animī praemia sceleris adeptum sēsē videt, certum esse ratus, quod ex amīcīs apud Numantiam accēperat, omnia Rōmae vēnālia esse, simul et illōrum pollicitātiōnibus accēnsus, quōs paulō ante mūneribus explēverat, in rēgnum Adherbalis animum intendit. ipse ācer, bellicōsus: at is quem petēbat quiētus, imbellis placidō ingeniō, opportūnus iniūriae, metuēns magis quam metuendus. Adherbal cum paucīs equitibus Cirtam profūgit et nī multitūdō togātōrum fuisset, quae Numidās īnsequentēs moenibus prohibuit, ūnō diē inter duōs rēgēs coeptum atque patrātum bellum foret. igitur Iugurtha oppidum circumsēdit. Adherbal ex eīs quī ūnā Cirtam profūgerant duōs māximē impigrōs dēlēgit ut Rōmam pergerent. lītterae Adherbalis in senātū recitātae. lēgantur in Āfricam māiōrēs nātū, nōbilēs, amplīs honōribus ūsī. eī trīduō nāvim ascendere. dein brevī Uticam appulsī lītterās ad Iugurtham mīttunt quam ōcissimē ad prōvinciam accēdat. igitur exercitū circumdatō summā vī Cirtam irrumpere nītitur. quod ubi secus prōcēdit neque quod intenderat efficere potest, ut prius quam lēgātōs convenīret Adherbalis potīrētur, nē amplius morandō Scaurum, quem plūrimum metuēbat, incenderet, cum paucīs equitibus in prōvinciam vēnit. ac tametsī senātī verbīs gravēs minae nūntiābantur, quod ab oppūgnātiōne nōn dēsisteret, multā tamen ōrātiōne cōnsūmptā lēgātī frūstrā discēssēre. ea postquam Cirtae audīta sunt, Ītalicī, quōrum virtūte moenia dēfēnsābantur cōnfīsī dēditiōne factā propter māgnitūdinem populī Rōmānī inviolātōs sēsē fore, Adherbalī suādent utī sēque et oppidum Iugurthae trādat, tantum

ab eō vītam pacīscātur: dē cēterīs senātuī fore. at ille, tametsī omnia potiōra fidē Iugurthae rēbātur, tamen quia penes eōsdem, sī adversārētur, cōgendī potestās erat, ita, utī cēnsuerant Ītalicī, dēditiōnem facit. Iugurtha in prīmīs Adherbalem excruciātum necat, deinde omnēs pūberēs Numidās atque negōtiātōrēs prōmīscuē, utī quisque armātīs obvius fuerat, interficit. deinde exercitus quī in Āfricam portārētur, scrībitur: stīpendium aliaque, quae bellō ūsuī forent, dēcernuntur.

57

At Marius multīs diēbus et labōribus cōnsūmptīs ānxius trahere cum animō suō, ōmītteretne inceptum, quoniam frūstrā erat, an fortūnam opperīrētur quā saepe prōsperē ūsus fuerat. quae cum multōs diēs noctēsque aestuāns agitāret, forte quīdam Ligus, ex cohortibus auxiliāriīs mīles gregārius, castrīs aquātum ēgressus haud procul ab latere castellī quod āversum proeliantibus erat, animum advertit inter saxa rēpentēs cocleās: quārum cum ūnam atque alteram, dein plūrēs peteret, studiō legendī paulatim prope ad summum montis ēgressus est. ubi postquam sōlitūdinem intellēxit, mōre hūmānī ingeniī cupīdō difficilia faciendī animum vertit. et forte in eō locō grandis īlex coaluerat inter saxa, paulum modo prōna, dein flexa atque aucta in altitūdinem quō cūncta gīgnentium nātūra fert: cūius rāmīs modo, modo ēminentibus saxīs nīsus Ligus in castellī plānitiem pervēnit, quod cūnctī Numidae intentī proeliantibus aderant. explōrātīs omnibus, quae mox ūsuī fore dūcēbat, eādem regreditur, nōn temerē utī ēscenderat, sed temptāns omnia et circumspiciēns. itaque Marium properē adit, ācta ēdocet, hortātur, ab eā parte, quā ipse ēscenderat, castellum temptet: pollicētur itineris

perīculīque ducem. Marius cum Ligure prōmīssa cōgnitum ex praesentibus mīsit: quōrum utī cūiusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nūntiāvēre: cōnsulis animus tamen paulum arrēctus. itaque ex cōpiā tubicinum et cornicinum numerō quīnque quam vēlōcissimōs dēlēgit, et cum eīs, praesidiō quī forent, quattuor centuriōnēs, omnēsque Ligurī parēre iubet, et eī negōtiō proximum diem cōnstituit.

Sed ubi ex praeceptō tempus vīsum, parātīs compositīsque omnibus ad locum pergit. cēterum illī, quī ēscēnsūrī erant, praedoctī ab duce arma ōrnātumque mūtāverant, capite atque pedibus nūdīs, utī prōspectus nīsusque per saxa facilius foret: super terga gladiī et scūta, vērum ea Numidica ex coriīs, ponderis gratiā simul et offēnsa quō levius streperent. igitur praegrediēns Ligus saxa et sī quae vetustāte rādīcēs ēminēbant laqueīs vinciēbat, quibus allevātī mīlitēs facilius ēscenderent, interdum timidōs īnsolentiā itineris levāre manū: ubi paulō asperior ascēnsus erat, singulōs prae sē inermēs mīttere, deinde ipse cum illōrum armīs sequī: quae dubia nīsū vidēbantur potissimus temptāre, ac saepius eādem ascendēns dēscendēnsque, dein statim dīgrediēns, cēterīs audāciam addere. igitur diū multumque fatīgātī tandem in castellum perveniunt, dēsertum ab eā parte, quod omnēs, sīcut aliīs diēbus, adversum hostēs aderant. Marius ubi ex nūntiīs quae Ligus ēgerat cōgnōvit, quamquam tōtō diē intentōs proeliō Numidās habuerat, tum vērō cohortātus mīlitēs et ipse extrā vīneās ēgressus testūdine āctā succēdere simul hostem tormentīs sagittāriīsque et funditōribus ēminus terrēre. at Numidae, saepe anteā vīneīs Rōmānōrum subversīs, item incēnsīs, nōn castellī moenibus sēsē tūtābantur, sed prō mūrō diēs noctēsque agitāre, maledīcere Rōmānīs ac Mariō vēcordiam obiectāre,

mīlitibus nostrīs Iugurthae servitium minārī, secundīs rēbus ferōcēs esse. interim omnibus, Rōmānīs hostibusque, proeliō intentīs, māgnā utrimque vī prō glōriā atque imperiō hīs, illīs prō salūte certantibus, repente ā tergō sīgna canere; ac prīmō mulierēs et puerī, quī vīsum prōcēsserant, fugere, deinde utī quisque mūrō proximus erat, postrēmō cūnctī, armātī inermēsque. quod ubi accidit, eō ācrius Rōmānī īnstāre, fundere ac plērōsque tantum modo sauciōrum dein super occīsōrum corpora vādere, avidī glōriae certantēs mūrum petere, neque quemquam omnium praeda morārī. sīc forte corrēcta Mariī temeritās glōriam ex culpā invēnit.

58

Sertōrius vir ācer, ēgregiusque dux, et tuendī regendīque exercitūs perītus fuit. is in temporibus difficillimīs et mentiēbātur ad mīlitēs sī mendācium prōdesset, et lītterās compositās prō vērīs legēbat, et somnium simulābat, et falsās rēligiōnēs cōnferēbat, sī quid istae rēs eum apud mīlitum animōs adiūtābant. illud adeō Sertōriī nōbile est. cerva alba eximiae pulchritūdinis et vīvācissimae celeritātis ā Lūsitānō eī quōdam dōnō data est. hanc sibi oblātam dīvīnitus et īnstīnctam Diānae nūmine colloquī sēcum monēreque, et docēre quae ūtilia factū essent, persuādēre omnibus īnstituit; ac sī quid dūrius vidēbātur quod imperandum mīlitibus foret, ā cervā sēsē monitum praedicābat. id cum dīxerat, ūniversī, tamquam sī deō, libentēs pārēbant. ea cerva quōdam diē, cum incursiō hostium esset nūntiāta, fēstīnātiōne ac tumultū cōnsternāta, in fugam sē prōrūpit, atque in palūde proximā dēlituit; et posteā requisīta periisse crēdita est. neque multīs

diēbus post inventam esse cervam Sertōriō nūntiātur. tum quī nūntiāverat, iūssit tacēre; ac nē cuī palam dīceret, interminātus est; praecēpitque ut eam posterō diē repente in eum locum, in quō ipse cum amīcīs esset, immītteret. admīssīs deinde amīcīs postrīdiē, vīsum sibi esse ait in quiēte cervam, quae periisset, ad sē revertī, et, ut prius cōnsuērat, quod opus esset factō praedicāre. tum Sertōriō quod imperāverat sīgnificante, cerva ēmīssa in cubiculum Sertōriī intrōrūpit. clāmor factus et orta admīrātiō est; eaque hominum barbarōrum crēdulitās Sertōriō in māgnīs rēbus māgnō ūsuī fuit. memoriae prōditum est ex eīs nātiōnibus quae cum Sertōriō faciēbant, cum multīs proeliīs superātus esset, nēminem umquam ab eō dēscīvisse, quamquam id genus hominum esset mōbilissimum.

59

Expōnam vōbīs, Quirītēs, ex quibus generibus hominum istae cōpiae comparentur; deinde singulīs medicīnam cōnsiliī atque ōrātiōnis meae, sī quam poterō, adferam. ūnum genus est eōrum, quī māgnō in aere aliēnō māiōrēs etiam possessiōnēs habent, quārum amōre adductī dissolvī nūllō modō possunt. hōrum hominum speciēs est honestissima: sunt enim locuplētēs; voluntās vērō et causa impudentissima. tū agrīs, tū aedificiīs, tū argentō, tū familiā, tū rēbus omnibus ōrnātus et cōpiōsus sīs, et dubitēs dē possessiōne dētrahere, adquīrere ad fidem? quid enim exspectās? bellum? quid ergō? in vastātiōne omnium tuās possessiōnēs sacrōsānctās futūrās putās? an tabulās novās? errant quī istās ā Catilīnā exspectant. meō beneficiō tabulae novae prōferentur, vērum auctiōnāriae. neque enim istī, quī posses-

siōnēs habent, aliā ratiōne ūllā salvī esse possunt. quod sī mātūrius facere voluissent, neque, id quod stultissimum est, certāre cum ūsūrīs fructibus praediōrum, et locuplētiōribus hīs et meliōribus cīvibus ūterēmur. sed hōsce hominēs minimē putō pertimēscendōs, quod aut dēdūcī dē sententiā possunt, aut, sī permanēbunt, magis mihi videntur vōta factūrī contrā rem pūblicam quam arma lātūrī. alterum genus est eōrum, quī, quamquam premuntur aere aliēnō, domīnātiōnem tamen exspectant, rērum potīrī volunt, honōrēs, quōs quiētā rē-pūblicā dēspērant, perturbātā sē cōnsequī posse arbitrantur. quibus hōc praecipiendum vidētur, ūnum scīlicet et idem quod reliquīs omnibus, ut dēspērent id, quod cōnantur, sē cōnsequī posse: prīmum omnium mē ipsum vigilāre, adesse, providēre reīpūblicae; deinde māgnōs animōs esse in bonīs virīs, māgnam concordiam in māximā multitūdine, māgnās praetereā cōpiās mīlitum; deōs dēnique immortālēs huīc invictō populō, clārissimō imperiō, pulcherrimae urbī contrā tantam vim sceleris praesentēs auxilium esse lātūrōs. quod sī iam sint id, quod cum summō furōre cupiunt, adeptī, num illī in cinere urbis et in sanguine cīvium, quae mente cōnscelerātā ac nefāriā concupīvērunt, sē cōnsulēs ac dictātōrēs aut etiam rēgēs spērant futūrōs? nōn vident id sē cupere, quod sī adeptī sint, fugitīvō alicuī aut gladiātōrī concēdī sit necesse? tertium genus est aetāte iam adfectum, sed tamen exercitātiōne rōbustum, quō ex genere iste est Mānlius, cuī nunc Catilīna succēdit: sunt hominēs ex eīs colōniīs, quās Sulla cōnstituit; quās ego ūniversās cīvium esse optimōrum et fortissimōrum virōrum sentiō, sed tamen eī sunt colōnī, quī sē in īnspērātīs ac repentīnīs pecūniīs sūmptuōsius īnsolentiusque iactārunt. hī

dum aedificant tamquam beātī, dum praediīs lēctīs, familiīs māgnīs, convīviīs apparātīs dēlectantur, in tantum aes alienum incidērunt, ut, sī salvī esse velint, Sulla sit ab īnferīs excitandus: quī etiam nōn nūllōs agrestēs, hominēs tenuēs atque egentēs, in eandem illam spem rapīnārum veterum impulērunt, quōs ego utrōsque in eōdem genere praedātōrum dīreptōrumque pōnō; sed eōs hōc moneō: dēsinant furere ac prōscrīptiōnēs et dictātūrās cōgitāre: tantus enim illōrum temporum dolor inūstus est cīvitātī, ut iam ista nōn modo hominēs, sed nē pecudēs quidem mihi passūrae esse videantur. quārtum genus est sānē varium et mīxtum et turbulentum, quī iam pridem premuntur, quī nunquam ēmergunt, quī partim inertiā, partim male gerendō negōtiō, partim etiam sūmptibus in vetere aere aliēnō vacillant; quī vadimōniīs, iūdiciīs, prōscrīptiōne bonōrum dēfatīgātī, permultī et ex urbe, et ex agrīs sē in illa castra cōnferre dīcuntur. hōsce ego nōn tam mīlitēs ācrēs quam īnfitiātōrēs lentōs esse arbitror; quī hominēs prīmum, sī stāre nōn possunt, conruant, sed ita ut nōn modo cīvitās, sed nē vīcīnī quidem proximī, sentiant. nam illud nōn intellegō, quam ob rem, sī vīvere honestē nōn possunt, perīre turpiter velint, aut cur minōre dolōre peritūrōs sē cum multīs, quam sī sōlī pereant, arbitrentur. quīntum genus est parricīdārum, sīcāriōrum, dēnique omnium facinorōsōrum; quōs ego ā Catilīnā nōn revocō; nam neque ab eō dīvellī possunt et pereant sānē in latrōciniō, quoniam sunt ita multī, ut eōs carcer capere nōn possit.

60

Hāc victōriā sublātus Ambiorīx statim cum equitātū in Aduatucōs, quī erant ẹius rēgnō finitimī,

proficīscitur; neque noctem neque diem intermittit peditātumque sēsē subsequī iubet. rē dēmōnstrātā Aduatucīsque concitātīs, posterō diē in Nerviōs pervenit hortāturque, nē suī in perpetuum līberandī atque ulcīscendī Rōmānōs prō eīs, quās accēperint, iniūriīs occāsiōnem dīmīttant: interfectōs esse lēgātōs duōs māgnamque partem exercitūs interīsse dēmōnstrat; nihil esse negōtiī, subitō oppressam legiōnem, quae cum Cicerōne hiemet, interficī; sē ad eam rem profitētur adiūtōrem. facile hāc ōrātiōne Nerviīs persuādet.

Itaque cōnfēstim dīmīssīs nūntiīs ad Ceutronēs, Grudiōs, Levacōs, Pleumoxiōs, Geidumnōs, quī omnēs sub eōrum imperiō sunt, quam māximās manūs possunt cōgunt et dē imprōvīsō ad Cicerōnis hīberna advolant, nōndum ad eum fāmā dē Titurii morte perlātā. huic quoque accidit, quod fuit necesse, ut nōnnūllī mīlitēs, quī līgnātiōnis mūnītiōnisque causā in silvās discēssissent, repentīnō equitum adventū interciperentur. hīs circumventīs, māgnā manū Eburōnēs, Nerviī, Aduatucī atque hōrum omnium sociī et clientēs legiōnem oppūgnāre incipiunt. nostrī celeriter ad arma concurrunt, vāllum cōnscendunt. aegrē is diēs sustentātur, quod omnem spem hostēs in celeritāte pōnēbant atque hanc adeptī victōriam in perpetuum sē fore victōrēs cōnfīdēbant.

Mītuntur ad Caesarem cōnfēstim ab Cicerōne līterae, māgnīs prōpositīs praemiīs, sī pertulissent; obsessīs omnibus viīs mīssī intercipiuntur. noctū ex māteriā, quam mūnītiōnis causā comportāverant, turrēs admodum CXX excitantur incrēdibilī celeritāte; quae deesse operī vidēbantur, perficiuntur. hostēs posterō diē multō māiōribus coāctīs cōpiīs castra oppūgnant, fossam complent. eādem ratiōne, quā

prīdiē, ab nostrīs resistitur. hōc idem reliquīs deinceps fit diēbus. nūlla pars nocturnī temporis ad labōrem intermīttitur; nōn aegrīs, nōn volnerātīs facultās quiētis datur. quaecumque ad proximī diēī oppūgnātiōnem opus sunt, noctū comparantur; multae praeūstae sudēs, māgnus mūrālium pilōrum numerus īnstituitur; turrēs contabulantur, pinnae lōrīcaeque ex crātibus attexuntur. ipse Cicerō, cum tenuissimā valētūdine esset, nē nocturnum quidem sibi tempus ad quiētem relinquēbat, ut ultrō mīlitum concursū āc vōcibus sibi parcere cogerētur.

Tunc ducēs prīncipēsque Nerviōrum, quī aliquem sermōnis aditum causamque amīcitiae cum Cicerōne habēbant, colloquī sēsē velle dīcunt. factā potestāte eādem, quae Ambiorīx cum Tituriō ēgerat, commemorant: omnem esse in armīs Galliam; Germānōs Rhēnum trānsīsse; Caesaris reliquōrumque hīberna oppūgnārī. addunt etiam dē Sabīnī morte; Ambiorīgem ostentant fideī faciundae causā. errāre eōs dīcunt, sī quicquam ab hīs praesidiī spērent, quī suīs rēbus diffīdant; sēsē tamen hōc esse in Cicerōnem populumque Rōmānum animō, ut nihil nisi hīberna recūsent atque hanc inveterāscere cōnsuētūdinem nōlint; licēre illīs incolumibus per sē ex hībernīs discēdere et, quāscumque in partēs velint, sine metū proficīscī. Cicerō ad haec ūnum modo respondit: nōn esse cōnsuētūdinem populī Rōmānī accipere ab hoste armātō condiciōnem: sī ab armīs discēdere velint, sē adiūtōre ūtantur lēgātōsque ad Caesarem mīttant; spērāre prō ēius iūstitiā, quae petierint, impetrātūrōs.

Ab hāc spē repulsī Nerviī vāllō pedum IX et fossā pedum XV hīberna cingunt. haec et superiōrum annōrum cōnsuētūdine ab nōbīs cōgnōverant et quōsdam dē exercitū habēbant captīvōs, ab hīs docē-

bantur; sed nūllā ferrāmentōrum cōpiā, quae esset ad hunc ūsum idōnea, gladiīs caespitēs circumcīdere, manibus sagulīsque terram exhaurīre cōgēbantur. quā quidem ex rē hominum multitūdō cōgnōscī potuit: nam minus hōrīs tribus mīlium passuum XV in circuitū mūnītiōnem perfēcērunt, reliquīsque diēbus turrēs ad altitūdinem vāllī, falcēs testūdinēsque, quās īdem captīvī docuerant, parāre ac facere coepērunt.

Septimō oppūgnātiōnis diē māximō coortō ventō ferventēs fūsilī ex argillā glandēs fundīs et fervefacta iacula in casās, quae mōre Gallicō strāmentīs erant tēctae, iacere coepērunt. hae celeriter īgnem comprehendērunt et ventī māgnitūdine in omnem locum castrōrum distulērunt. hostēs māximō clāmōre, sīcutī partā iam atque explōrātā victōriā, turrēs testūdinēsque agere et scālīs vāllum ascendere coepērunt. at tanta mīlitum virtūs atque ea praesentia animī fuit, ut, cum undique flammā torrērentur māximāque tēlōrum multitūdine premerentur suaque omnia impedīmenta atque omnēs fortūnās cōnflagrāre intellegerent, nōn modo dēmigrandī causā dē vāllō dēcēderet nēmō, sed paene nē respiceret quidem quisquam, āc tum omnēs ācerrimē fortissimēque pūgnārent. hīc diēs nostrīs longē gravissimus fuit; sed tamen hunc habuit ēventum, ut eō diē māximus numerus hostium volnerārētur atque interficerētur, ut sē sub ipsō vāllō cōnstīpāverant recēssumque prīmīs ultimī nōn dabant. paulum quidem intermīssā flammā et quōdam locō turrī adāctā et contingente vāllum, tertiae cohortis centuriōnes ex eō, quō stābant, locō recēssērunt suōsque omnēs remōvērunt, nūtū vōcibusque hostēs, sī introīre vellent, vocāre coepērunt; quōrum prōgredī ausus est nēmō. tum ex omnī parte lapidibus coniectīs dēturbātī, turrisque succēnsa est.

Erant in eā legiōne fortissimī virī, centuriōnēs, quī prīmīs ōrdinibus appropinquārent, Titus Pullō et Lūcius Vorēnus. hī perpetuās inter sē contrōversiās habēbant, quīnam anteferrētur, omnibusque annīs dē locīs summīs simultātibus contendēbant. ex hīs Pullō, cum ācerrimē ad mūnītiōnēs pūgnārētur, 'Quid dubitās,' inquit, 'Vorēne? aut quem locum tuae pro laude virtūtis exspectās? hīc diēs dē nostrīs contrōversiīs iūdicābit.' haec cum dīxisset, prōcēdit extrā mūnītiōnēs, quaeque pars hostium cōnfertissima est vīsa, irrumpit. nē Vorēnus quidem sēsē vāllō continet, sed omnium veritus exīstimātiōnem subsequitur. tum mediocrī spatiō relictō Pullō pīlum in hostēs immīttit atque ūnum ex multitūdine prōcurrentem trāicit; quō percussō et exanimātō, hunc scūtīs prōtegunt, in hostem tēla ūniversī cōniciunt neque dant regrediendī facultātem. trānsfīgitur scūtum Pullōnī et verūtum in balteō dēfīgitur. āvertit hīc cāsus vāgīnam, et gladium ēdūcere cōnantī dextram morātur manum, impedītumque hostēs circumsistunt. succurrit inimīcus illī Vorēnus et labōrantī subvenit. ad hunc sē cōnfēstim ā Pullōne omnis multitūdō convertit; illum verūtō arbitrantur occīsum. gladiō comminus rem gerit Vorēnus atque ūnō interfectō reliquōs paulum prōpellit; dum cupidius īnstat, in locum dēlātus īnferiōrem concidit. huīc rūrsus circumventō fert subsidium Pullō, atque ambō incolumēs complūribus interfectīs summā cum laude sēsē intrā mūnītiōnēs recipiunt. sīc fortūna in contentiōne et certāmine utrumque versāvit, ut alter alterī inimīcus auxiliō salūtīque esset, neque dīiūdicārī posset, uter utrī virtūte anteferendus vidērētur.

Quantō erat in diēs gravior atque asperior oppūgnātiō, et māximē, quod māgnā parte mīlitum cōnfectā volneribus rēs ad paucitātem dēfēnsōrum

pervēnerat, tantō crēbriōrēs lītterae nūntiīque ad Caesarem mīttēbantur; quōrum pars dēprehēnsa in cōnspectū nostrōrum mīlitum cum cruciātū necābātur. erat ūnus intus Nervius nōmine Verticō, locō nātus honestō, quī ā prīmā obsidiōne ad Cicerōnem perfūgerat summamque eī fidem praestiterat. hīc servō spē lībertātis māgnīsque persuādet praemiīs, ut lītterās ad Caesarem dēferat. hās ille in iaculō illigātās effert et Gallus inter Gallōs sine ūllā sūspiciōne versātus ad Caesarem pervenit. ab eō dē perīculīs Cicerōnis legiōnisque cōgnōscitur.

Caesar acceptīs lītterīs hōrā circiter ūndecimā diēī statim nūntium in Bellovacōs ad M. Crassum quaestōrem mīttit, cūius hīberna aberant ab eō mīlia passuum xxv; iubet mediā nocte legiōnem proficīscī celeriterque ad sē venīre. exit cum nūntiō Crassus. alterum ad Gāium Fabium lēgātum mīttit, ut in Atrebatum fīnēs legiōnem addūcat, quā sibi iter faciendum sciēbat. scrībit Labiēnō, sī reī pūblicae commodō facere posset, cum legiōne ad fīnēs Nerviōrum veniat. reliquam partem exercitūs, quod paulō aberat longius, nōn putat exspectandam; equitēs circiter quadringentōs ex proximīs hībernīs colligit.

Hōrā circiter tertiā ab antecursōribus dē Crassī adventū certior factus eō diē mīlia passuum xx prōcēdit. Crassum Samarobrīvae praeficit legiōnemque eī attribuit, quod ibi impedīmenta exercitūs, obsidēs civitātum, lītterās pūblicās frūmentumque omne, quod eō tolerandae hiemis causā dēvexerat, relinquēbat. Fabius, ut imperātum erat, nōn ita multum morātus, in itinere cum legiōne occurrit. Labiēnus, interitū Sabīnī et caede cohortium cōgnitā, cum omnēs ad eum Treverōrum cōpiae vēnissent, veritus, nē, sī ex hībernīs fugae similem profectiōnem fēcisset,

hostium impetum sustinēre nōn posset, praesertim quōs recentī victōriā efferrī scīret, lītterās Caesarī remīttit, quantō cum perīculō legiōnem ex hībernīs ēductūrus esset, rem gestam in Eburōnibus perscrībit, docet omnēs peditātūs equitātūsque cōpiās Treverōrum tria mīlia passuum longē ab suīs castrīs cōnsēdisse.

Caesar cōnsiliō ēius probātō, etsī opīniōne trium legiōnum dēiectus ad duās redierat, tamen ūnum commūnis salūtis auxilium in celeritāte pōnēbat. vēnit māgnīs itineribus in Nerviōrum fīnēs. ibi ex captīvīs cōgnōscit, quae apud Cicerōnem gerantur quantōque in perīculō rēs sit. tum cuīdam ex equitibus Gallīs māgnīs praemiīs persuādet, utī ad Cicerōnem epistulam dēferat. hanc Graecīs cōnscrīptam lītterīs mīttit, nē interceptā epistulā nostra ab hostibus cōnsilia cōgnōscantur. sī adīre nōn possit, monet, ut trāgulam cum epistulā ad ammentum dēligātā intrā mūnītiōnem castrōrum ābiciat. in lītterīs scrībit, sē cum legiōnibus profectum celeriter adfore; hortātur, ut prīstinam virtūtem retineat. Gallus perīculum veritus, ut erat praeceptum, trāgulam mīttit. haec cāsū ad turrim adhaesit neque ab nostrīs bīduō animadversa tertiō diē ā quōdam mīlite cōnspicitur, dempta ad Cicerōnem dēfertur. ille perlēctam in conventū mīlitum recitat māximāque omnēs laetitiā afficit. tum fūmī incendiōrum procul vidēbantur, quae rēs omnem dubitātiōnem adventūs legiōnum expulit.

Gallī rē cōgnitā per explōrātōrēs obsidiōnem relinquunt, ad Caesarem omnibus cōpiīs contendunt. haec erant armāta circiter mīlia LX. Cicerō datā facultāte Gallum ab eōdem Verticōne, quem suprā dēmōnstrāvimus, repetit, quī lītterās ad Caesarem dēferat; hunc admonet, iter cautē dīligenterque faciat;

perscrībit in lītterīs, hostēs ab sē discēssisse omnemque ad eum multitūdinem convertisse. quibus lītterīs circiter mediā nocte Caesar allātīs suōs facit certiōrēs eōsque ad dīmicandum animō cōnfīrmat. posterō diē lūce prīmā movet castra et circiter mīlia passuum quattuor prōgressus trāns vallem et rīvum multitūdinem hostium cōnspicātur. erat māgnī perīculī rēs tantulīs cōpiīs inīquō locō dīmicāre; tum, quoniam obsidiōne līberātum Cicerōnem sciēbat, aequō animō remīttendum dē celeritāte exīstimābat; cōnsēdit et, quam aequissimō locō potest, castra commūnit atque haec, etsī erant exigua per sē, vix hominum mīlium septem, praesertim nūllīs cum impedīmentīs, tamen angustiīs viārum, quam māximē potest, contrahit, eō cōnsiliō, ut in summam contemptiōnem hostibus veniat. interim speculātōribus in omnēs partēs dīmīssīs explōrat, quō commodissimē itinere vallēs trānsīrī possit.

Eō diē parvulīs equestribus proeliīs ad aquam factīs utrīque sēsē suō locō continent: Gallī, quod ampliōrēs cōpiās, quae nōndum convēnerant, exspectābant; Caesar, sī forte timōris simulātiōne hostēs in suum locum ēlicere posset, ut citrā vallem prō castrīs proeliō contenderet; sī id efficere nōn posset, ut explōrātīs itineribus minōre cum perīculō vallem rīvumque trānsīret. prīmā lūce hostium equitātus ad castra accēdit proeliumque cum nostrīs equitibus commīttit. Caesar cōnsultō equitēs cēdere sēque in castra recipere iubet; simul ex omnibus partibus castra altiōre vāllō mūnīrī portāsque obstruī atque in hīs administrandīs rēbus quam māximē concursārī et cum simulātiōne agī timōris iubet.

Quibus omnibus rēbus hostēs invītātī cōpiās trādūcunt aciemque inīquō locō cōnstituunt, nostrīs vērō etiam dē vāllō dēductīs propius accēdunt et tēla

intrā mūnītiōnem ex omnibus partibus cōniciunt praecōnibusque circummīssīs prōnūntiārī iubent, seu quis Gallus seu Rōmānus velit ante hōram tertiam ad sē trānsīre, sine perīculō licēre; post id tempus nōn fore potestātem; ac sīc nostrōs contempsērunt, ut, obstructīs in speciem portīs singulīs ōrdinibus caespitum, quod eā nōn posse intrōrumpere vidēbantur, aliī vāllum manū scindere, aliī fossas complēre inciperent. tum Caesar omnibus portīs ēruptiōne factā equitātūque ēmīssō celeriter hostēs in fugam dat, sīc utī omnīnō pūgnandī causā resisteret nēmō, māgnumque ex eīs numerum occīdit atque omnēs armīs exuit.

Longius prōsequī veritus, quod silvae palūdēsque intercēdēbant neque etiam parvulō dētrīmentō illōrum locum relinquī vidēbat, omnibus suīs incolumibus cōpiīs eōdem diē ad Cicerōnem pervēnit. īnstitūtās turrēs, testūdinēs mūnītiōnēsque hostium admīrātur; legiōne prōductā cōgnōscit, nōn decimum quemque esse reliquum mīlitem sine volnere: ex hīs omnibus iūdicat rēbus, quantō cum perīculō et quantā cum virtūte rēs sint administrātae. Cicerōnem prō ēius meritō legiōnemque collaudat; centuriōnēs singillātim tribūnōsque mīlitum appellat, quōrum ēgregiam fuisse virtūtem testimōniō Cicerōnis cōgnōverat dē cāsū Sabīnī et Cottae certius ex captīvīs cōgnōscit. posterō diē cōntiōne habitā rem gestam prōpōnit, mīlitēs cōnsōlātur et cōnfīrmat: quod dētrīmentum culpā et temeritāte lēgātī sit acceptum, hōc aequiōre animō ferendum docet, quod beneficiō deōrum immortālium et virtūte eōrum expiātō incommodō, neque hostibus diūtina laetātiō neque ipsīs longior dolor relinquātur.

61

At eī quī Alesiae obsidēbantur, praeteritā diē quā auxilia suōrum exspectāverant, cōnsūmptō omnī frūmentō, īnsciī quid in Aeduīs gererētur, conciliō coāctō dē exitū suārum fortūnārum cōnsultābant. ac variīs dictīs sententiīs, quārum pars dēditiōnem, pars, dum vīrēs suppeterent, ēruptiōnem cēnsēbat, nōn praetereunda ōrātiō Critōgnātī vidētur propter ēius singulārem et nefāriam crūdēlitātem. hīc, summō in Arvernīs ortus locō et māgnae habitus auctōritātis, 'Nihil,' inquit, 'dē eōrum sententiā dictūrus sum, quī turpissimam servitūtem dēditiōnis nōmine appellant, neque hōs habendōs cīvium locō neque ad concilium adhibendōs cēnseō. cum hīs mihi rēs sit quī ēruptiōnem probant; quōrum in conciliō omnium vestrum cōnsēnsū prīstinae residēre virtūtis memoria vidētur. animī est ista mollitia, nōn virtūs, paulisper inopiam ferre nōn posse. quī sē ultrō mortī offerant facilius reperiuntur quam quī dolōrem patienter ferant. atque ego hanc sentententiam probārem (tantum apud mē dīgnitās potest), sī nūllam praeterquam vītae nostrae iactūram fierī vidērem; sed in cōnsiliō capiendō omnem Galliam respiciāmus, quam ad nostrum auxilium concitāvimus. quid hominum mīlibus LXXX ūnō locō interfectīs propinquīs cōnsanguineīsque nostrīs animī fore exīstimātis, sī paene in ipsīs cadāveribus proeliō dēcertāre cōgentur? nōlīte hōs vestrō auxiliō exspoliāre, quī vestrae salūtis causā suum perīculum neglēxērunt, nec stultitiā ac temeritāte vestrā aut animī imbēcillitāte omnem Galliam prōsternere et perpetuae servitūtī subicere. an, quod ad diem nōn vēnērunt, dē eōrum fidē cōnstantiāque dubitātis? quid ergō? Rōmānōs in illīs ulteriōribus mūnītiōni-

bus animīne causā cotidiē exercērī putātis? sī illōrum nūntiīs cōnfīrmārī nōn potestis omnī aditū praeseptō, hīs ūtiminī testibus appropinquāre eōrum adventum; cūius reī timōre exterritī diem noctemque in opere versantur. quid ergō meī cōnsiliī est? facere, quod nostrī māiōrēs nēquāquam parī bellō Cimbrōrum Teutonumque fēcērunt; quī in oppida compulsī ac similī inopiā subāctī eōrum corporibus quī aetate ad bellum inūtilēs vidēbantur vītam tolerāvērunt neque sē hostibus trādidērunt. cūius reī sī exemplum nōn habērēmus, tamen lībertātis causā īnstituī et posterīs prōdī pulcherrimum iūdicārem. nam quid illī simile bellō fuit? dēpopulātā Galliā Cimbrī māgnāque inlātā calamitāte fīnibus quidem nostrīs aliquandō excēssērunt atque aliās terrās petiērunt; iūra, lēgēs, agrōs, lībertātem nōbīs relīquērunt. Rōmānī vērō quid petunt aliud aut quid volunt, nisi invidiā adductī, quōs fāmā nōbilēs potentēsque bellō cōgnōvērunt, hōrum in agrīs cīvitātibusque cōnsīdere atque hīs aeternam iniungere servitūtem? neque enim ūllā aliā condiciōne bella gessērunt. quod sī ea quae in longinquīs nātiōnibus geruntur īgnōrātis, respicite fīnitimam Galliam, quae in prōvinciam redācta, iūre et lēgibus commūtātīs, secūribus subiecta perpetuā premitur servitūte.'

Sententiīs dictīs cōnstituunt ut eī quī valētūdine aut aetāte inūtilēs sunt bellō oppidō excēdant atque omnia prius experiantur quam ad Critōgnātī sententiam dēscendant: illō tamen tempore potius ūtendum cōnsiliō, sī rēs cōgat atque auxilia morentur, quam aut dēditiōnis aut pācis subeundam condiciōnem. Mandubiī, quī eōs oppidō recēperant, cum līberīs atque uxōribus exīre cōguntur. hī cum ad mūnītiōnēs Rōmānōrum accēssissent, flentēs omnibus precibus ōrābant ut sē īn servitūtem receptōs cibō

iuvārent. at Caesar dispositīs in vāllō cūstōdiīs recipī prohibēbat.

62

Germānī multum ab hāc Germānōrum cōnsuētūdine differunt, nam neque Druidēs habent, quī rēbus dīvīnīs praesint, neque sacrificiīs student. deōrum numerō eōs sōlōs dūcunt, quōs cernunt et quōrum apertē opibus iuvantur, Sōlem et Volcānum et Lūnam; reliquōs nē fāmā quidem accēpērunt. vīta omnis in vēnātiōnibus atque in studiīs reī mīlitāris cōnsistit; ab parvolīs labōrī ac dūritiēī student.

Agricultūrae nōn student; māiorque pars eōrum victūs in lacte, cāseō, carne cōnsistit; neque quisquam agrī modum certum aut fīnēs habet propriōs; sed magistrātūs ac prīncipēs in annōs singulōs gentibus cōgnātiōnibusque hominum quī ūnā coiērunt, quantum et quō locō vīsum est agrī attribuunt atque annō post aliō trānsīre cōgunt. ēius reī multās afferunt causās, nē assiduā cōnsuētūdine captī studium bellī gerendī agricultūrā commūtent; nē lātōs fīnēs parāre studeant, potentiōrēsque humiliōrēs possessiōnibus expellant, nē accūrātius ad frīgora atque aestūs vītandōs aedificent, nē qua oriātur pecūniae cupiditās, quā ex rē factiōnēs dissēnsiōnēsque nāscuntur: ut animī aequitāte plēbem contineant, cum suās quisque opēs cum potentissimīs aequārī videat.

Cīvitātibus māxima laus est, quam lātissimē circum sē vastātīs fīnibus sōlitūdinēs habēre. hōc proprium virtūtis exīstimant, expulsōs agrīs fīnitimīs cēdere, neque quemquam prope audēre cōnsistere: simul hōc sē fore tūtiōrēs arbitrantur, repentīnae incursiōnis timōre sublātō. cum bellum cīvitās illātum dēfendit aut īnfert, magistrātūs quī eī bellō praesint, ut vītae necisque habeant potestātem, dēliguntur. in pāce

nūllus est commūnis magistrātus, sed prīncipēs regiōnum atque pāgōrum inter suōs iūs dīcunt, contrōversiāsque minuunt. latrōcinia nūllam habent īnfāmiam, quae extrā fīnēs cūiusque cīvitātis fīunt: atque ea iuventūtis exercendae ac dēsidiae minuendae causā fierī praedicant. atque ubi quis ex prīncipibus in conciliō sē dīxit ducem fore, quī sequī velint, profiteantur, cōnsurgunt eī quī et causam et hominem probant, suumque auxilium pollicentur, atque ab multitūdine collaudantur; quī ex hīs secūtī nōn sunt in dēsertōrum ac prōditōrum numerō dūcuntur; omniumque hīs rērum posteā fidēs dērogātur. hospitēs violāre fās nōn putant; quī quāque dē causā ad eōs vēnērunt, ab inūriā prohibent, sānctōsque habent: hīsque omnium domūs patent, victusque commūnicātur.

Suēbōrum gēns est longē māxima et bellicōsissima Germānōrum omnium: hī centum pāgōs habēre dīcuntur ex quibus quotannīs singula mīlia armātōrum, bellandī causā, ex fīnibus ēdūcunt; reliquī quī domī mānsērunt sē atque illōs alunt. hī rūrsus invicem annō post in armīs sunt, illī domī remanent. sīc neque agricultūra, nec ratiō atque ūsus bellī intermīttitur. sed prīvātī ac sēparātī agrī apud eōs nihil est; neque longius annō remanēre ūnō in locō incolendī causā licet; neque multum frūmentō sed māximam partem lacte atque pecore vīvunt, multumque sunt in vēnātiōnibus; quae rēs et cibī genere et cotidiānā exercitātiōne, et lībertāte vītae cum ā puerīs nūllō officiō aut dīsciplīnā assuēfactī nihil omnīnō contrā voluntātem faciant, et vīrēs alit et immānī corporum māgnitūdine hominēs efficit.

Pūblicē māximam putant esse laudem quam lātissimē ā suīs fīnibus vacāre agrōs; hāc rē sīgnificārī māgnum numerum cīvitātum suam vim sustinēre

nōn potuisse. itaque ūnā ex parte ā Suēbīs circiter mīlia passuum sexcenta agrī vacāre dīcuntur. ad alteram partem succēdunt Ubiī, quōrum fuit cīvitās ampla atque flōrēns, ut est captus Germānōrum, et paulō sunt ēiusdem generis cēterīs hūmāniōrēs, proptereā quod Rhēnum attingunt, multīque ad eōs mercātōrēs ventitant, et ipsī propter propinquitātem Gallicīs sunt mōribus assuēfactī. hōs cum Suēbī, multīs saepe bellīs expertī, propter amplitūdinem gravitātemque cīvitātis, fīnibus expellere nōn potuissent, tamen vectīgālēs sibi fēcērunt, ac multō humiliōrēs īnfīrmiōrēsque redēgērunt.

63

Ipse eōrum opīniōnibus accēdō quī Germāniae populōs nūllīs aliārum nātiōnum connubiīs īnfectōs propriam et sincēram et tantum suī similem gentem exstitisse arbitrantur. unde habitus quoque corporum quamquam in tantō hominum numerō īdem omnibus, trucēs et caeruleī oculī, rutilae comae, māgna corpora et tantum ad impetum valida.

Terra satis ferāx, frūgiferārumque arborum impatiēns, pecorum fēcunda sed plērumque imprōcēra. nē armentīs quidem suus honor aut glōria frontis: numerō gaudent, eaeque sōlae et grātissimae opēs sunt.

Rēgēs ex nōbilitāte, ducēs ex virtūte sūmunt. nec rēgibus īnfīnīta aut lībera potestās; et ducēs exemplō potius quam imperiō, sī promptī, sī cōnspicuī, sī ante aciem agunt, admīrātiōne praesunt.

Dē minōribus rēbus prīncipēs cōnsultant, dē māiōribus omnēs; ita tamen ut ea quoque quōrum penes plēbem arbitrium est apud prīncipēs pertrāctentur. coeunt, nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certīs diēbus, cum aut inchoātur lūna aut implētur; nam

agendīs rēbus hōc auspicātissimum initium crēdunt. nec diērum numerum, ut nōs, sed noctium computant. sīc cōnstituunt, sīc condīcunt. nox dūcere diem vidētur. illud ex lībertāte vitium, quod nōn simul nec ut iūssī conveniunt, sed et alter et tertius diēs cūnctātiōne coeuntium absūmitur. ut turba placuit, cōnsīdunt armātī. silentium per sacerdōtēs, quibus tum et coercendī iūs est, imperātur. mox rēx vel prīnceps, prout aetās cuīque, prout nōbilitās, prout decus bellōrum, prout fācundia est, audiuntur, auctōritāte suādendī magis quam iubendī potestāte. sī displicuit sententia, fremitū aspernantur; sin placuit, frameās concutiunt. honōrātissimum assēnsūs genus est armis laudāre. nihil autem neque pūblicae neque prīvātae reī nisi armātī agunt. sed arma sūmere nōn ante cuīquam mōris quam cīvitās suffectūrum probāverit. tum in ipsō conciliō vel prīncipum aliquis vel pater vel propinquus scūtō frameāque iuvenem ōrnant. haec apud illōs toga, hīc prīmus iuventae honōs; ante hōc domūs pars videntur, mox reīpūblicae.

Nūllās Germānōrum populīs urbēs habitārī satis nōtum est: nē patī quidem inter sē iūnctās sēdēs. colunt discrētī ac dīversī, ut fōns, ut campus, ut nemus placuit. vīcōs locant nōn in nostrum mōrem connexīs et cohaerentibus aedificiīs: suam quisque domum spatiō circumdat, sīve adversus cāsūs ignis remedium, sīve īnscītiā aedificandī.

Plūsque ibi bonī mōrēs valent, quam alibī bonae lēgēs.

64

Tū vērō fēlīx, Agricola, nōn vītae tantum clāritāte, sed etiam opportūnitāte mortis: ut perhibent, quī interfuērunt novissimīs sermōnibus tuīs, cōnstāns

et libēns fātum excēpistī, tamquam prō virīlī portiōne innocentiam prīncipī dōnārēs. sed mihi fīliaeque ēius praeter acerbitātem parentis ēreptī auget maestitiam, quod assidēre valētūdinī, fovēre dēficientem, satiārī voltū complexūque nōn contigit. excēpissēmus certē mandāta vōcēsque, quās penitus animō fīgerēmus. noster hīc dolor, nostrum volnus; nōbīs tum longae absentiae condiciōne ante quadriennium āmīssus est. omnia sine dubiō, optime parentum, assidente amantissimā uxōre superfuēre honōrī tuō; pauciōribus tamen lacrimīs compositus es, et novissimā in lūce dēsīderāvēre aliquid oculī tuī.

Sī quis piōrum mānibus locus, ut sapientibus placet, nōn cum corpore exstinguuntur māgnae animae, placidē quiēscās, nōsque domum tuam, ab īnfīrmō dēsīderiō et muliebribus lāmentīs ad contemplātiōnem virtūtum tuārum vocēs, quās neque lūgērī neque plangī fās est; admīrātiōne tē potius quam temporālibus laudibus, et, sī nātūra suppeditet, aemulātiōne decorēmus. is vērus honōs, ea coniūnctissimī cūiusque pietās. id fīliae quoque uxōrīque praecēperim, sīc patris, sīc marītī memoriam venerārī, ut omnia facta dictaque ēius sēcum revolvant, fōrmamque ac figūram animī magis quam corporis complectantur; nōn quia intercēdendum putem imāginibus, quae marmore aut aere finguntur; sed ut voltus hominum, ita simulācra voltūs imbēcilla ac mortālia sunt, fōrma mentis aeterna, quam tenēre et exprimere nōn per aliēnam materiam et artem, sed tuīs ipse mōribus possīs. quicquid ex Agricolā amāvimus, quicquid mīrātī sumus, manet mānsūrumque est in animīs hominum, in aeternitāte temporum, fāmā rērum. nam multōs veterum velut inglōriōs et īgnōbilēs oblīviō obruit; Agricola posteritātī narrātus et trāditus superstes erit.

65

Britanniam quī mortālēs initiō coluerint, indigenae an advectī, ut inter barbarōs, parum compertum. habitūs corporum variī, atque ex eō argūmenta. namque rutilae Caledōniam habitantium comae, māgnī artūs Germānicam orīginem assevērant. Silurum colōrātī voltūs, tortī plērumque crīnēs, et positā contrā Hispāniā Ibērōs veterēs trāiēcisse eāsque sēdēs occupāsse fidem faciunt. proximī Gallīs et similēs sunt, seu dūrante orīginis vī, seu prōcurrentibus in dīversa terrīs positiō caelī corporibus habitum dedit. in ūniversum tamen aestimantī Gallōs vīcīnam īnsulam occupāsse crēdibile est. eōrum sacra dēprehendās, superstitiōnum persuāsiōnēs; sermō haud multum dīversus; in dēpōscendīs perīculīs eadem audacia, et, ubi advēnēre, in dētrectandīs eadem formīdō. plūs tamen ferōciae Britannī praeferunt, ut quōs nōndum longa pāx ēmollierit. nam Gallōs quoque in bellīs flōruisse accēpimus; mox sēgnitia cum ōtiō intrāvit, āmīssā virtūte pariter ac lībertāte. quod Britannōrum ōlim victīs ēvēnit; cēterī manent, quālēs Gallī fuērunt.

In pedite rōbur; quaedam nātiōnēs et currū proeliantur; honestior aurīga, clientēs prōpūgnant. ōlim rēgibus pārēbant, nunc per prīncipēs factiōnibus et studiīs trahuntur, nec aliud adversus validissimās gentēs prō nōbīs ūtilius quam quod in commūne nōn cōnsulunt. rārus duābus tribusque cīvitātibus ad prōpulsandum commūne perīculum conventus; ita singulī pūgnant, ūniversī vincuntur. caelum crēbrīs imbribus ac nebulīs foedum; asperitās frīgorum abest. diērum spatia ultrā nostrī orbis mēnsūram; nox clāra et extrēmā Britanniae parte brevis, ut fīnem atque

initium lūcis exiguō discrīmine internōscās. quod sī nūbēs nōn officiant, aspicī per noctem sōlis fulgōrem, nec occidere et exsurgere sed transīre affīrmant. scīlicet extrēma et plāna terrārum humilī umbrā non ērigunt tenebrās, īnfrāque caelum et sīdera nox cadit. solum, praeter oleam vītemque et cētera calidiōribus terrīs orīrī suēta, patiēns frūgum, fēcundum; tardē mītēscunt, cito prōveniunt, eademque utrīusque reī causa, multus hūmor terrārum caelīque. fert Britannia aurum et argentum et alia metalla, pretium victōriae. gīgnit et ōceanus margarīta, sed subfūsca ac līventia. quīdam artem abesse legentibus arbitrantur; nam in Rubrō marī vīva ac spīrantia saxīs āvellī, in Britanniā, prout expulsa sint, colligī. ego facilius crēdiderim nātūram margarītīs deesse quam nōbīs avāritiam. ipsī Britannī dēlēctum ac tribūta et iniūncta imperiī mūnera impigrē obeunt, sī iniūriae absint; hās aegrē tolerant, iam domitī ut pāreant, nōndum ut serviant. igitur prīmus omnium Rōmānōrum dīvus Iūlius cum exercitū Britanniam ingressus, quamquam prōsperē terruerit incolās, ac litore potītus sit, potest vidērī ostendisse posterīs, nōn trādidisse. mox bella cīvīlia, et in rem pūblicam versa prīncipum arma, ac longa oblīviō Britanniae etiam in pāce.

66

Interfectō Dīdiō Iūliānō Sevērus Āfricā oriundus imperium optinuit. cuī cīvitās Leptī, pater Geta, māiōrēs equitēs Rōmānī ante cīvitātem omnibus datam. in prīmā pueritiā, priusquam Latīnīs Graecīsque lītterīs imbuerētur, quibus ērudītissimus fuit, nūllum alium inter puerōs lūdum nisi ad iūdicēs exercuit, cum ipse praelātīs fascibus ac secūribus ōrdine puerōrum circumstante sedēret ac iūdicāret.

octāvō decimō annō pūblicē dēclāmāvit. posteā studiōrum causā Rōmam vēnit, lātum clāvum ā dīvō Mārcō petit et accēpit, favente sibi Septimiō Sevērō adfīnī suō, bis iam cōnsulārī. cum Rōmam vēnisset, hospitem nānctus, quī Hadriānī vītam imperātōriam eādem hōrā legeret, quod sibi ōmen futūrae fēlīcitātis arripuit. habuit et aliud ōmen imperiī. cum rogātus ad cēnam imperātōriam palliātus vēnisset, quī togātus venīre dēbuerat, togam praesidiāriam ipsīus imperātōris accēpit. eādem nocte somniāvit lupae sē ūberibus ut Remum inhaerēre vel Rōmulum. sēdit et in sellā imperātōriā temerē ā ministrō positā, īgnārus quod nōn licēret. dormientī etiam in stabulō serpēns caput cīnxit et sine noxā expergēfactīs et adclāmantibus familiāribus, abiit.

Īdem cum implācābilis dēlictīs fuit, tum ad ērigendōs industriōs satis dēditus, doctrīnae quoque nimis cupidus. latrōnum ubīque hostis. vītam suam prīvātam pūblicamque ipse composuit ad fidem, sōlum tamen vitium crūdēlitātis excūsāns.

Periit Eborācī in Britanniā subāctīs gentibus, quae Britanniae vidēbantur īnfēstae, annō imperiī XVIII, morbō gravissimō extīnctus, iam senex.

Opera pūblica praecipua ēius exstant Septizōnium et thermae Sevēriānae, ēiusdemque etiam iānuae in Trānstiberīnā regiōne ad portam nōminis suī.

Iūdicium dē eō post mortem māgnum omnium fuit, māximē quod diū nec ā fīliīs ēius bonī aliquid reī p. vēnit et posteā invādentibus multīs rem p. rēs Rōmāna praedōnibus dīreptuī fuit.

Hīc tam exiguīs vēstibus ūsus est, ut vix et tunica ēius aliquid purpurae habēret, cum hirtā clamyde umerōs vēlāret. cibī parcissimus, legūminis patriī avidus, vīnī aliquandō cupidus, carnis frequenter īgnārus. ipse decōrus, ingēns, prōmīssā barbā, cānō

capite et crispō, voltū reverendus, canōrus vōce, sed Āfrum quiddam ūsque ad senectūtem sonāns.

Sunt per plūrimās cīvitātēs opera īnsīgnia. māgnum vērō illud in vītā ēius, quod Rōmae omnēs aedēs pūblicās, quae vitiō temporum lābēbantur, īnstaurāvit nūsquam prope suō nōmine adscrīptō, servātīs tamen ubīque titulīs conditōrum. moriēns septem annōrum canōnem, ita ut cotidiāna septuāgintā quīnque mīlia modium expendī possent, relīquit; oleī vērō tantum, ut per quīnquennium nōn sōlum urbis ūsibus, sed et tōtīus Ītaliae, quae oleō eget, sufficeret.

Ultima verba ēius dīcuntur haec fuisse: 'Turbātam rem p. ubīque accēpī, pācātam etiam Britannīs relinquō, senex ac pedibus aeger fīrmum imperium Antōnīnīs meīs relinquēns, ac bonī erunt, imbēcillum, sī malī'. iūssit deinde sīgnum tribūnō darī 'Labōrēmus,' quia Pertināx, quando in imperium adscītus est, sīgnum dederat 'Mīlitēmus'.

Corpus ēius ā Britanniā Rōmam ūsque cum māgnā prōvinciālium reverentiā susceptum est; quamvīs aliquī urnulam auream tantum fuisse dīcant Sevērī reliquiās continentem eandemque Antōnīnōrum sepulchrō inlātam, cum Septimius illīc, ubi vītā fūnctus est, esset incēnsus.

67

Dē Iūstitiā et Iūre

Iūstitia est cōnstāns et perpetua voluntās iūs suum cuīque tribuēns. iūris prūdentia est dīvīnārum atque hūmānārum rērum nōtitia, iūstī atque iniūstī scientia.

Hīs generāliter cōgnitīs et incipientibus nōbīs expōnere iūra populī Rōmānī ita māximē videntur posse trādī commodissimē, sī prīmō levī ac simplicī, post deinde dīligentissimā atque exāctissimā interpretātiōne singula trādantur.

Iūris praecepta sunt haec: honestē vīvere, alterum nōn laedere, suum cuīque tribuere. hūius studiī duae sunt positiōnēs, pūblicum et prīvātum. pūblicum iūs est, quod ad statum reī Rōmānae spectat, prīvātum, quod ad singulōrum ūtilitātem pertinet. dīcendum est igitur dē iūre prīvātō, quod est tripertītum: collēctum est enim ex nātūrālibus praeceptīs aut gentium aut cīvīlibus.

Dē Iūre Nātūrālī et Gentium et Cīvīlī

Iūs nātūrāle est, quod nātūra omnia animālia docuit. nam iūs istud nōn hūmānī generis proprium est, sed omnium animālium quae in caelō, quae in terrā, quae in marī nāscuntur. hinc dēscendit maris atque fēminae coniugātiō, quam nōs mātrimōnium appellāmus. iūs autem cīvīle vel gentium ita dīviditur: omnēs populī, quī lēgibus et mōribus reguntur, partim suō propriō, partim commūnī omnium hominum iūre ūtuntur: nam quod quisque populus ipse sibi iūs cōnstituit, id ipsīus proprium cīvitātis est vocāturque iūs cīvīle, quasi iūs proprium ipsīus cīvitātis: quod vērō nātūrālis ratiō inter omnēs hominēs cōnstituit, id apud omnēs populōs peraequē custōdītur vocāturque iūs gentium, quasi quō iūre omnēs gentēs ūtuntur. et populus itaque Rōmānus partim suō propriō, partim commūnī omnium hominum iūre ūtitur. quae singula quālia sunt, suīs locīs prōpōnēmus. sed iūs quidem cīvīle ex ūnāquāque cīvitāte appellātur, velutī Athēniēnsium: nam sī quis velit Solōnis vel Dracōnis lēgēs appellāre iūs cīvīle Athēniēnsium, nōn errāverit. sīc enim et iūs, quō populus Rōmānus ūtitur, iūs cīvīle Rōmānōrum appellāmus: vel iūs Quirītium, quō Quirītēs ūtuntur: Rōmānī enim ā Quirīnō Quirītēs appellantur. sed

quotiēns nōn addimus, cūius sit cīvitātis, nostrum iūs sīgnificāmus: sīcuti cum poētam dīcimus nec addimus nōmen, subaudītur apud Graecōs ēgregius Homērus, apud nōs Vergilius. iūs autem gentium omnī hūmānō generī commūne est. nam ūsū exigente et hūmānīs necessitātibus gentēs hūmānae quaedam sibi cōnstituērunt: bella etenim orta sunt et captīvitātēs secūtae et servitūtēs, quae sunt iūre nātūrālī ab initiō omnēs hominēs līberī nāscēbantur. ex hōc iūre gentium et omnēs paene contrāctūs intrōductī sunt, ut emptiō venditiō, locātiō conductiō, societās, dēpositum, mūtuum et aliī innumerābilēs.

68

Prehistoric and Historic Rome—A Comparison

Hōc quodcumque vidēs, hospēs, quam māxima Rōma
    est,
  ante Phrygem Aenēān collis et herba fuit;
atque ubi nāvālī stant sacra Palātia Phoebō,
  Euandrī profugae concubuēre bovēs.
fictilibus crēvēre deīs haec aurea templa,
  nec fuit opprobiō facta sine arte casa;
Tarpēiusque pater nūdā dē rūpe tonābat,
  et Tiberis nostrīs advena būbus erat.
quā gradibus domus ista Remī sē sustulit, ōlim
  ūnus erat frātrum māxima rēgna focus.
cūria praetextō quae nunc nitet alta senātū,
  pellītōs habuit, rustica corda, Patrēs.
būcina cōgēbat prīscōs ad verba Quirītēs:
  centum illī in prātō saepe senātus erat.
nec sinuōsa cavō pendēbant vēla theātrō,
  pulpita sollemnēs nōn oluēre crocōs.
nūllī cūra fuit externōs quaerere dīvōs;
  cum tremeret patriō pendula turba sacrō,

annuaque accēnsō celebrāre Parīlia faenō,
quālia nunc curtō lūstra novantur equō.
Vesta corōnātīs pauper gaudēbat asellīs,
dūcēbant macrae vīlia sacra bovēs.
parva sagīnātī lūstrābant compita porcī,
pastor et ad calamōs exta litābat ovis.
verbera pellītus saetōsa movēbat arātor,
unde licēns Fabius sacra Lupercus habet.
nec rudis īnfēstis mīles radiābat in armīs:
mīscēbant ūstā proelia nūda sude.
prīma galērītus posuit praetōria Lygmon,
māgnaque pars Tatiō rērum erat inter ovēs.
hinc Titiēns Ramnēsque virī Lucerēsque colōnī,
quattuor hinc albōs Rōmulus ēgit equōs.
quippe suburbānae parvā minus urbe Bovillae
et, quī nunc nūllī, māxima turba Gabī.
et stetit Alba potēns, albae suis ōmine nāta,
hāc ubi Fīdēnās longē erat īsse viās.
nīl patrium nisi nōmen habet Rōmānus alumnus:
sanguinis altrīcem nōn putet esse lupam.
hūc melius profugōs mīsīstī, Trōia, penātēs.
heu quālī vecta est Dardana puppis avē!
iam bene spondēbant tunc ōmina, quod nihil illam
laeserat ābiēgnī venter apertus equī,
cum pater in nātī trepidus cervīce pependit,
et verita est umerōs ūrere flamma piōs.
tunc animī vēnēre Decī Brūtīque secūrēs,
vexit et ipsa suī Caesaris arma Venus,
arma resurgentis portāns victrīcia Trōiae:
fēlīx terra tuōs cēpit, Iūle, deōs;
sī modo Avernālis tremulae cortīna Sibyllae
dīxit Aventīnō rūra pianda Remō,
aut sī Pergameae sērō rata carmina vātis
longaevum ad Priamī vēra fuēre caput:

vertite equum, Danaī! male vincitis! Īlia tellūs
vīvet, et huīc cinerī Iuppiter arma dabit.
optima nūtrīcum nostrīs lupa Mārtia rēbus,
quālia crēvērunt moenia lacte tuō!
moenia namque piō cōner dispōnere versū:
ei mihi, quod nostrō est parvus in ōre sonus!
sed tamen exiguō quodcumque ē pectore rīvī
fluxerit, hōc patriae serviet omne meae.
Ennius hirsūtā cingat sua dicta corōnā:
mī folia ex hederā porrige, Bacche, tuā,
ut nostrīs tumefacta superbiat Umbria librīs,
Umbria Rōmānī patria Callimachī!
scandentēs quisquis cernit dē vallibus arcēs,
ingeniō mūrōs aestimet ille meō!
Rōma, favē, tibi surgit opus, date candida cīvēs
ōmina, et inceptīs dextera cantet avis!
sacra diēsque canam et cōgnōmina prīsca locōrum:
hās meus ad mētās sūdet oportet equus.

69

The Prophecy of Anchises

'Nunc age, Dardaniam prōlem quae deinde sequātur
glōria, quī maneant Italā dē gente nepōtēs,
inlūstrēs animās nostrumque in nōmen itūrās,
expediam dictīs, et tē tua fāta docēbō.
ille, vidēs, pūrā iuvenis quī nītitur hastā,
proxima sorte tenet lūcis loca, prīmus ad aurās
aetheriās Italō commīxtus sanguine surget,
Silvius, Albānum nōmen, tua postuma prōlēs,
quem tibi longaevō sērum Lāvīnia coniūnx
ēdūcet silvīs rēgem rēgumque parentem,
unde genus Longā nostrum dominābitur Albā.
proximus ille Procās, Trōiānae glōria gentis,
et Capys et Numitor et quī te nōmine reddet

Silvius Aenēās, pariter pietāte vel armīs
ēgregius, sī umquam rēgnandam accēperit Albam.
quī iuvenēs! quantās ostentant, aspice, vīrēs
atque umbrāta gerunt cīvīlī tempora quercū!
hī tibi Nōmentum et Gabiōs urbemque Fidēnam,
hī Collātīnās impōnent montibus arcēs,
Pōmetiōs Castrumque Inuī Bōlamque Coramque.
haec tum nōmina erunt, nunc sunt sine nōmine terrae.
quīn et avō comitem sēsē Māvortius addet
Rōmulus, Assaricī quem sanguinis Īlia māter
ēdūcet. viden ut geminae stant vertice cristae
et pater ipse suō superum iam sīgnat honōre?
ēn hūius, nāte, auspiciīs illa inclita Rōma
imperium terrīs, animōs aequābit Olympō,
septemque ūna sibī mūrō circumdabit arcēs,
fēlīx prōle virum: quālis Berecyntia māter
invehitur currū Phrygiās turrīta per urbēs
laeta deum partū, centum complexa nepōtēs,
omnēs caelicolās, omnēs supera alta tenentēs.
hūc geminās nunc flecte aciēs, hanc aspice gentem
Rōmānōsque tuōs. hīc Caesar et omnis Iūlī
prōgeniēs māgnum caelī ventūra sub axem.
hīc vir, hic est, tibi quem prōmīttī saepius audīs,
Augustus Caesar, dīvī genus, aurea condet
saecula quī rūrsus Latiō rēgnāta per arva
Sāturnō quondam, super et Garamantas et Indōs
prōferet imperium; iacet extrā sīdera tellūs,
extrā annī sōlisque viās, ubi caelifer Atlās
axem umerō torquet stellīs ārdentibus aptum.
hūius in adventum iam nunc et Caspia rēgna
respōnsīs horrent dīvum et Maeōtia tellūs,
et septemgeminī turbant trepida ōstia Nīlī.
nec vērō Alcīdēs tantum tellūris obīvit,
fīxerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthī

pācārit nemora et Lernam tremefēcerit arcū;
nec quī pampineīs victor iuga flectit habēnīs
Līber, agēns celsō Nȳsae dē vertice tigrēs.
et dubitāmus adhūc virtūtem extendere factīs,
aut metus Ausoniā prohibet cōnsistere terrā?
quis procul ille autem rāmīs īnsīgnis olīvae
sacra ferēns? nōscō crīnēs incānaque menta
rēgis Rōmānī, prīmam quī lēgibus urbem
fundābit Curibus parvīs et paupere terrā
mīssus in imperium māgnum. cuī deinde subībit
ōtia quī rumpet patriae residēsque movēbit
Tullus in arma virōs et iam dēsuēta triumphīs
āgmina. quem iūxtā sequitur iactantior Ancus
nunc quoque iam nimium gaudēns populāribus aurīs.
vīs et Tarquiniōs rēgēs animamque superbam
ultōris Brūtī, fascēsque vidēre receptōs?
cōnsulis imperium hīc prīmus saevāsque secūrēs
accipiet, nātōsque pater nova bella moventēs
ad poenam pulchrā prō lībertāte vocābit,
īnfēlīx! utcumque ferent ea facta minōrēs
vincet amor patriae laudumque immēnsa cupīdō.
quīn Deciōs Drūsōsque procul saevumque secūrī
aspice Torquātum et referentem sīgna Camillum.
illae autem paribus quās fulgere cernis in armīs,
concordēs animae nunc et dum nocte premuntur,
heu quantum inter sē bellum, sī lūmina vītae
attigerint, quantās aciēs strāgemque ciēbunt,
aggeribus socer Alpīnīs atque arce Monoecī
dēscendēns, gener adversīs īnstructus Eōīs!
nē, puerī, nē tanta animīs adsuēscite bella
neu patriae validās in vīscera vertite vīrēs;
tūque prior, tū parce, genus quī dūcis Olympō,
prōice tēla manū, sanguis meus!—
ille triumphātā Capitōlia ad alta Corinthō
victor aget currum caesīs īnsīgnis Achīvīs.

ēruet ille Argōs Agamemnoniāsque Mycēnās
ipsumque Aeacidēn, genus armipotentis Achillī,
ultus avōs Trōiae templa et temerāta Minervae.
quis tē, magne Catō, tacitum aut tē, Cosse, relinquat?
quis Gracchī genus aut geminōs, duo fulmina bellī,
Scīpiadās, clādem Libyae, parvōque potentem
Fabricium, vel tē sulcō, Serrāne, serentem?
quō fessum rapitis, Fabiī? tū Māximus ille es,
ūnus quī nōbīs cūnctandō restituis rem.
excūdent aliī spīrantia mollius aera,
crēdō equidem, vīvōs ducent dē marmore voltūs,
ōrābunt causās melius, caelīque meātūs
dēscrībent radiō et surgentia sīdera dīcent:
tū regere imperiō populōs, Rōmāne, mementō
(hae tibi erunt artēs), pācisque impōnere mōrem,
parcere subiectīs et dēbellāre superbōs.'

VOCABULARY

A

ā (ab), *prep. with abl.* (1) from, (2) by (*with nouns signifying persons*).
abdicō, -āre, *v.a.* deny, refuse; (*with* **sē**), abdicate.
abdō, -ere, -didī, -ditum, *v.a.* hide, conceal.
abeō, -īre, -īvī *or* **-iī, -itum**, *v.n.* go away, depart (**ab** + **eō**).
ābiciō, -ere, -iēcī, -iectum, *v.a.* throw away, throw down.
abiēgnus, -a, -um, *adj.* of fir.
abigō, -ere, -ēgī, -āctum, *v.a.* drive away.
abnuō, -ere, -uī, -ūtum, *v.a.* refuse.
abolēscō, -ere, -ēvī, *v.n.* decay, cease.
abscindō, -ere, -scidī, -scissum, *v.a.* cut off.
absentia, -ae, *f.* absence.
abstergeō, -ēre, -rsī, -rsum, *v.a.* wipe away.
absūmō, -ere, -sūmpsī, -sūmptum, *v.a.* take away, use up.
āc, *conj.* and.
accēdō, -ere, -cēssī, -cēssum, *v.n.* approach.
accelerō, -āre, *v.a.* and *n.* hasten.
accendō, -ere, -dī, -sum, *v.a.* kindle.
accēnsus, -a, -um, *adj.* fired.
accēssus, -ūs, *m.* approach.
accidō, -ere, -cidī, *v.n.* (1) fall upon; (2) befall, happen.
accipiō, -ere, -cēpī, -ceptum, *v.a.* receive, accept.
accola, -ae, *c.* neighbour.
accumbō, -ere, -cubuī, -cubitum, *v.n.* lie beside.
accūrātē, *adv.* carefully.
accūsō, -āre, *v.a.* accuse, charge.
ācer, -ris, -re, *adj.* keen.
acerbitās, -ātis, *f.* bitterness, sorrow.
acerbus, -a, -um, *adj.* bitter.
acervātim, *adv.* in heaps, (with) many at a time.
Achillēs, -ae, *m.* Achilles, famous hero in the Trojan war.
Achīvī, -ōrum, *m. pl.* the Greeks.
Achīvus, -a, -um, *adj.* Achaean, Grecian.
aciēs, -ēī, *f.* (1) sharp sight, sight; (2) eye; (3) battle-line.
aconītum, -ī, *n.* aconite, a poisonous plant.
acquīrō, -ere, -quīsīvī, -quīsītum, *v.a.* get.
acuō, -ere, -uī, -ūtum, *v.a.* sharpen.
ad, *prep. with acc.* (1) to, (2) at, (3) near.
adaequō, -āre, *v.a.* equal.
addō, -ere, -didī, -ditum, *v.a.* add.
addūcō, -ere, -dūxī, -ductum, *v.a.* bring or lead to.
adeō, -īre, -iī, *or* **-īvī, -itum**, *v.n.* approach, come to or before.
adeō, *adv.* (1) so much, so; (2) indeed.
adferō, -ferre, attulī, allātum, *v.a.* bring forward, bring; cause; allege.
adfīnis, -is, -e, *adj.* kindred.

adfīrmō, -āre, *v.a.* assert, affirm.
adhaereō, -ēre, -haesī, -haesum, *v.n.* stick to.
adhibeō, -ēre, -uī, -itum, *v.a.* (1) bring to, apply; (2) summon; (3) employ.
adhortātiō, -ōnis, *f.* encouragement.
adhūc, *adv.* hitherto.
adiaceō, -ēre, -uī, *v.n.* lie near.
adigō, -ere, -ēgī, -āctum, *v.a.* drive, bring to or up; *of a weapon,* drive home.
adimō, -ere, -ēmī, -emptum, *v.a.* take away.
adipīscor, -ī, adeptus sum, *dep. v.a.* gain, obtain.
aditus, -ūs, *m.* (1) *abstract,* approach, access; (2) *concrete,* access, entrance.
adiungō, -ere, -nxī, -nctum, *v.a.* add.
adiūtō, -āre, *v.a.* help, assist.
adiūtor, -ōris, *m.* helper.
adiuvō, -āre, -iūvī, -iūtum, *v.a.* aid, assist.
adluō, -ere, -uī, *v.a.* wash against, bathe.
administrō, -āre, *v.a.* manage, conduct, govern.
admīrātiō, -ōnis, *f.* wonder.
admīror, -ārī, -ātus sum, *v. dep.* admire.
admīttō, -ere, -mīsī, -mīssum, *v.a.* admit; perpetrate, commit.
admodum, *adv.* much, many, as many as.
admoveō, -ēre, -ōvī, -ōtum, *v.a.* move up to; *pass.* rise toward.
adnuō, -ere, -uī, -ūtum, *v.n.* assent, approve.
adolēscō, -ere, -ēvī, *v.n.* grow up.
